

AURORA PACIS RELIGIOSAE DIVINAE VERITATI AMICA SIVE DEMONSTRATIO EVIDENS & SOLIDA...

Adolf Gottfried Volusius




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
14
20 L
27 H





AURORA PACIS RELIGIOSÆ DIVINAE VERITATI AMICA

SIVE

Demonstratio evidens & solida

QUOD

Cætuum invariatam Confessionem Augustanam Sincerè amplectentium reconciliatio & unio cum S. Catholica Ecclesia Romana, Salvis eorundem Protestantium hypothesibus, & illæsa veritate divina nec sit impossibilis, nec *inconsulta*; Synctetismus autem omnis cum Sacramentarijs impossibilis damnosus & perniciosus: opposita præprimis

Disputationibus quas in contrarium habuêre *Samuel Maresius Groningæ*, apud Genevenses *Franciscus Turretinus* & Marpurgi *D. Sebastianus Curtius* Calviniani Theologi; ex Augustanis vêro *D. Gerhardus Titius* & D. Meno Hannekenius alijque recentiores hinc inde Protestantes.

Authore
ADOLPHO GODEFRIDO VOLUSIO
SS. Theol. Doctore, summæ Ædis Mog. Pastore & Ecclesiaste.

MOGUNTIÆ
Sumptibus Joh. Baptistæ Schönvvetteri Bibliopolæ Francofurtensis.
Ex Typographejo NICOLAI HEYLL, Typographi jurati.
Anno M. DC. LXV.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DN. CHRISTIANO DUCI MEGAPOLITANO, VANDALORUM SCHUUERINENSIUM AC RACEBURGENSIUM PRINCIPI, Comiti Schvverinienſi, territorij Roſtochienſis & Stargardienſis Domino &c.



Vòd inter tot Catholicorum per Galliam & noſtram Germaniam plauſus, quibus Sereniſſimæ Celſitudinis Tuæ feliciſſimam ex Lutherano Schiſmate eluctationem, & ad S. Matris noſtræ Eccleſiæ Catholicæ Romanæ pacem & unitatem tranſitum undequaq; exceperant: Ego, quem *Celſitudo Tua Sereniſſima* Moguntiæ paucis ab hinc annis aliquamdiu commorata, & publicè in ſacra æde Metropolitana, & intra privatos parietes de rebus ad ſanctam fidem noſtram præ tot aliis Sectariorum opinationibus à ſe invicem non minus, quàm à Catholica veritate diſcrepantibus, ſuſcipiendam: cohortantem clementiſſimè audire, & ſecuturæ aliquando Converſionis Suæ luculenta aliquot indicia dare dignata fuerat: tam diu conticuerim, cordiſq; mei inde concitatū tripudium vix explicabile

per tot mensiũ decursus compresserim: innata, *Princeps humanissime*, Tua Clementia, in benigniorem, spero, partẽ interpretabitur, maximæ ubi moræ huius causam non unã fuisse ex me intelligere annuerit.

Fuit autem facile prima silentii huius mei causa nuntium ad nos Moguntiam, de *Celsitudinis Tuæ* ter beata conversione, ex Galliis serius allatũ; quod si celerius advolasset, me utique promptiorem ad debitum congratulationis obsequium Tibi exhibendum, offendisset.

Accessit huic altera ratio, quod locus in quo *Tua Celsitudo* in itinere ut plurimùm constituta commoraretur, nos hic loci lateret. Malui itaque in persolvendo hoc officio meo *Celsitudinis Tuæ* in patriam reditum præstolari, quàm literas, & quæ adijcienda erant, incerto eventui committere.

Tertia verò eaque potissima dilati huius negotii causa fuit, quod in hanc ipsam meam lucubrationẽ superioribus annis cæptam, & propter urgentiores occupationes intermissam eodem ferè tempore, casu, vel Deo sic suaviter disponente? nescio, inciderẽ, quando *Principem Christianum Megapolitanum* in Christianissimi Galliarum regni metropoli, urbium Europæarũ hodie maxima, Parisiis, ad Romanę Eccelsiæ communionem admissum fuisse iteratis & indubitatis nuntiis ferebatur. Iis excitatus & in spem

novam

novam erectus fui, fore, ut hæc dexteræ Excelsi in celsissimo *Serenitatis Tuæ* pectore mutatio, multis animarum myriadibus, qui Tuo parent Imperio, ansam esset porrectura ex diro Lutheri Schismate emergendi & pertingendi ad illam Evangelicam Veritatem, quam S. Otto, Ioannes Scotus, Benno aliique Septentrionalium plagarum Apostoli majoribus illorum è gentilismo conversis primi annunciaverant, abiectis errorum zizaniis, quæ inimicus homo superseminaverat. Huic lolio evellendo nihil, exiguo meo judicio, magis est accomodum, quàm si id genus mortalibus fidei Catholicę doctrina sincerè proponatur, & (quàm iniquè à multis Doctorū suorum hæreseos in doctrina, idolomaniæ in cultu, tyrannidis in Ecclesiastico regimine, postuletur) in spiritu mansuetudinis ad oculum demonstretur.

Ad hunc scopū hæc mea collimat Scriptio, quam sub pacis auroræ Veritati amicæ titulo, Tibi, *Princeps Christiane Catholice*, dicatam volui, ut sicut Dei miserentis beneficio in *Serenissimo pectore Tuo* exortus est Sol justitiæ Christus, fidei lumine intellectum Tuum illustrans, animique affectum ad Veritatis intrepidam confessionem inflammans; ita Tua Authoritate hæc AVRORA PACIS VERITATI AMICA subditis tuis consurgat, ut memores moniti illius Apostolici: surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus Ephes. c. v. vers. 14. torporem illum in librandis Christianæ credulitatis momentis

ac

ac fundamentis excutientes, paulatim advertant, quàm sint Dei per illam unam Catholicam Romanam, ex ipsorum infensissimorum adversariorum confessione, VERAM ECCLESIAM personantia testimonia nimis CREDIBILIA, eiusq; dogmata sincerè proposita ab omni errorũ contagio segregata; ac proinde quàm meritò *Augustani* spretis Calvinianorum, quas varijs artibus ingerere conantur, henoticis syncretitisticisque consilijs, Ecclesiæ Catholicæ Romanæ veram ac sinceram pacem quærere debeant.

Huius voti mei à Te, *Princeps potentissime*, damnas factus, sufficiens laboris mei compendium fecero.

Deum cæli supplex adoro, ut illud quod in *Tua Celsitudine Serenissima* operatus est, à Templo Sancto suo confirmare, Eamque ab insidiis inimicorum præservare, Ecclesiæ autem & patriæ Megapolitanæ in nestoreos annos superstitẽ præstare dignetur; quò tandem integra fidei Catholicæ nave, & salvis multorum bonorum operum mercibus beatæ æternitatis portum pari felicitate ingredi mereatur.

Dabam Moguntiæ, *ipso Conversionis S. Pauli*, Anno MDCLXV. adjecto hoc Chronographico:

In noMIne DeI PatrIs, & FILII, & spIrItUs sanCtI,
fIat paX In VIrtUte tUa, & abUnDantIa In tUrrIbUs tUIs
Megapolitanis In Lege pIore.

Serenissimæ Celsitudinis Tuæ.

Servus in Christo

ADOLPHUS GODEFRIDUS VOLUSIUS D.

Præloquium ad Pacis Veritatisq; amatorem.



Vamuis, teste Hilario contra Auxentium, speciosum sit nomen Pacis, & pulchra opinio unitatis, non tamen æquè speciosum, sed potius plerisq; exosum est pacificationis religiosæ consilium; Vix enim, ab exorto illo novissimo Ecclesiæ occidentalis in gravissimis fidei capitibus dissidio, ullus extitit, qui concordiæ sarciendæ intendens, eamq; ore vel calamo alterutri parti suadens, inde non malè audire cæperit. Experti hoc fuere ex nostris Michael Helding & Julius Pflug Ille Mersburgensis hic Naumburgensis Episcopus cum Ioanne Islebio Lutherano Anno 1547. à gloriosæ recordationis Cæsare Carolo V. designati ut essent authores primæ pacificationis, quã vernaculâ lingua, Das interim, inscripserant; hæc enim pluribus Catholicis non minus quàm rigidioribus sectarijs ita fuit execrabilis, ut passim diceretur: interim hatt einen Schalck hinder ihm & quam ex nostris Serarius lib. 1. de rebus Mog. c. 40. hæreticam sanctionem, quo iure quave iniuria, alii iudicent, vocitat. Peius adhuc impegit Cassander sua ad Maximilianum Cæsarem consultatione, quam consultius ipsius suppressisset. Ex protestantibus quotquot unquam dissidii huius componendi aliquod momentum conferre voluerunt, hoc ipso momento cæteris factiosis sordescere cæperunt, in quorum censum referri solent Melanchthon, Georgius Major, & nostra ætate inter Augustanos Hornæus, Calixtus: ex reformatis Hugo Grotius, & vel maximè Wilhelmus Laudus sub hoc prætextu à latrocinantibus Parlamentarijs Angliæ capite plexus, quod diceretur unionem cum Romana Ecclesia fuisse meditatus. Et quidem eousque excreuit fervor Zelotarum utriusq; communionis, ut plurimos viros, cætera bonos, retrahat, quo minus ea quæ tam diro schismati sopiendo ex diuturna lectione & observatione accommoda esse probè norunt: hac sola tamen causa in medium proferre detrectant, quia fœdam illam Neutralistarum notam sibi inurendam ref rmidant.

Hos inter & ego iam ab annis aliquot me continui. Sicut enim à nulla re magis quàm à dira hæreseos lue tum etiam ab illorum pacificatorum fermento qui cum Appelle apud Eusebium lib. 5. c. 13. sibi aliisq; persuasum eunt: non rationem fidei omninò quærere oportere: sed quemque in ea fide perstare debere quam professus fuisset; eos enim qui in Christum crucifixum spem conjecissent, salvos fore, dummodò in bonis operibus sedulò versati reperirentur. Ita non raro animum meum hæc subijt cogitatio: Bone Deus, unde hæc in orbe Christiano miseria quod in tam diuturno bello religioso tam pauci reperiantur, qui pacem tandem aliquando etiam cum dispendio vitæ ac fortunæ, efficacius urgeant! Quousq; ita in partes ire Christianorum populum permittent illi, qui totius Christianæ Reip. excidium ex hac sola religionum diversitate certo certius imminere tam luculenter perspiciunt? Cingimur à tot gentibus Christi nomen blasphemantibus, à Turcis & Tartaris. Vix numerari possunt recutiti Hebræi, quos in sinu nostro fovemus. Crescit indies numerus Socinianorum, aliorumq; fanaticorum, solum nomen Christianorum retinentium: nec tamen inde nos, qui, si non omnia, ima saltem & prima fidei fundamenta inconcussa tenemus, & unum Deum in

Trini-

Trinitate, Trinitatē verò in unitate veneramur, Vnum Dei filium propter nos & nostrā salutē descendisse de cælis & incarnatū, passum, mortuum, ad inferos delatum, resuscitatū, & in cælos assumptū, deniq; ad Patris dexterā collocatum, jugiter pro nobis intercedere nostrorumq; peccatorū purgationem facere constanter profitemur, ad pacis cōsilia capessenda induci possumus.

Omne regnum in se divisum, inquit ipse Dominantium Dominus, dissipabitur. Eius oraculo divino si fidem adhibere detrectemus, credamus saltem illi stultorum magistræ omnium sæculorum Experientiæ. Vnde enim interitus regnorum Christianorum in Oriente utriusq; Armeniæ, Palestinæ, Trapezuntini & Constantinopolitani Imperij? nonne ex infelici illo Schismate Græcorum à Latina Ecclesia, quam Deus hucusq; tam potenter à Barbarorum machinationibus in Polonia, Austria, alijsq; vicinis provinciis Romanæ Ecclesiæ communicantibus defendit; Transsyluania, Hungaria, aliisq; regnis maiorem sui partem hoc solo stratagemate subiugatis, quia illorum incolæ in diversa studia traherentur, & in discordantes circa Religionem opiniones scinderentur.

Nunc igitur Reges ac Principes, & Tu inprimis Augustissime Imperator Leopolde, *qui non humano duntaxat jure, sed divina constitutione Christianorum princeps es, & Ecclesiæ supremus advocatus ac nutritius, intelligite, & errorem hucusq; commissum corrigite. Laborastis multum, nec, meo iudicio, infructuosè quando Monasterij & Osnabrugæ pacem sæcularem Imperio & regnis vestris restituistis: Peccastis verò, quando illam pacem, quam mundus ille immundus dare nec cupit, nec potest, ab authore & amatore pacis Deo ter Opt. Maximo medijs adhibitis pari fervore procurare non sategistis, immemores quietem politicam sine pace Ecclesiastica rarò bonam, nunquam verè tutam esse; ac proinde si ratio status vestri, quam omni rationi divinæ ac humanæ plures pseudopolitici præferunt, subsistere debeat, omnino requiritur, ut Authoritatis vestræ interpositione intemperantiores illi Zelotæ tam Catholicæ quàm protestanticæ communionis in ordinem redigantur, congregatis verò in unū viris Deum timentibus, veritatem & pacem seriò desiderantibus, & necessariâ scientiâ & prudentiâ ad hoc arduum negotium probè instructis absq; præjudicio unius vel alterius Ecclesiæ inter se amicè conferant, & sub utriusq; partis correctione.*

Primò seligant & determinent ea in quibus Catholici & protestantes apertè conveniunt, vel dissentiunt.

Secundò maturè expendant, quales sint quæstiones, in quibus Catholici cum protestantibus controvertuntur, & quæstiones scholasticas à fidei controversijs accuratè distinguant.

Tertiò dispiciant, quibus in rebus pars una alteri sine læsione Veritatis diuinitus patefactæ tam in credendis, quàm quoad ritus aliquid indulgere possit.

Quartò inquirant etiam in modum probativum tam unius quàm alterius partis, & utra argumenta in articulis magis momentosis præponderent ac conuincant, ad trutinam moderati examinis strictim expediant.

Vt hoc maiori cum fructu fiat, pars Catholica Summi Pontificis consensum prævium obtineat, & ex præcipuis provinciis unum ad minus exercitatum Theologum & rerum sacrarum peritum politicum ad locum determinandum dirigat. A parte protestantiū reges ac principes ad hoc per Augustissimum Cæsarem inducendi ut ex suis moderatos aliquot Theologos

logos

logos ex suis seligant, qui cū nostris hoc vel g... pacificationis negotiū tentare iubeantur. *Cum reformatis simile quid intendere vix & ne vix quidem est possibile, saltem cum iis qui sunt de Schola Gebennensi & Puritanorum spiritu imbuti. Id quod sub finem huius nostræ dissertationis fusius prosequemur. Hic ex ipso Maresio hanc ἀδυναμίαν obiter saltem indigitasse sufficiat.* Quicquid, *inquit ille,* Papistæ promitterent vel largirentur suspectæ & sublestæ foret fidei. *Insani igitur erunt Calviniani si in* fidei divinæ *rebus pacificationem cum talibus tentare velint, quos omni* fide humana *carere tam firmiter sunt persuasi. Accedunt vestigia, quæ, si qua fides in Maresio esse vel illi haberi potest, merito illos terrere debent, quominus Ecclesiæ Romanæ nō tantū hoc axioma* Hæreticis nō est servanda fides, *credenti sed etiam passim in praxin deducenti; vel tantillum fidei adhibere possint, Nam in Moravis ipso Bellarmino teste, lib. 2. de V. D. c. 16. tum etiam in Bohemis, Maronitis, Thomæis & Græcis datam fidem fregit, quando illos coegit ejurare dogmata antiqua quæ sub initium unionis indulserat quamvis essent Papatui in plurimis contraria. Hoc audacter scribit Maresius, sed nullo verbulo probat. De Moravis lege Bellarminum seipsum in recognitionibus suis corrigentem. Bohemi non ante indulto Privilegio Concilii Basiliensis exciderunt, quàm ubi partim huius singularitatis pertæsi contraria praxi* communionem sub utraque *ipsimet abrogarunt, partim quando post Lutheri Schisma ab unitate penitus deficientes Dei & Ecclesiæ favoribus sese indignos reddiderunt.*

Maronitas verò sic dictos à Marone hæresiarcha, cujus errores per quingentos annos *secuti fuerant tandem tempore Guilhelmi Tyri Archiepiscopi illis eiuratis, fidem Catholicam integre esse amplexos & per suum Patriarcham in Concilio illo Lateranensi magno sub Innocentio III. plenam fidei professionem edidisse ex Iacobo Vitriaco Acconis in Syria Episcopo lib. 1. Histor. Hierosol. c. 77. aliisque recenset Torcellus lib. 3. rerum orient. part. 8. c. 77.* Q*uam vero sint rituum suorum, Sede Apostolica minime refragante, hodieque tenaces lege apud doctissimum Morinum in commentario de Sacris Ecclesiæ ordinationibus; in quo ... prolixe recenset quàm fuerint Summi pontifices Solliciti ut unaquæque Ecclesia suos à SS. P. P. Traditos ritus absque temeraria permixtione obseruaret. Hunc si legisset Maresius non ita perfricta fronte Romam in his saltem fidifragii incusasset. Thomæos in India Christianos ab Alexandrino Episcopo dudum derelictos & sensim in varios errores prolapsos a Gr... ano Archiepiscopo autem visitatos & reductos fuisse constat; dogmata autē fidei Catholicæ contraria illis fuisse permissa non credimus, nisi ex melioris notæ, quàm sit Maresius, Scriptore demonstretur. Quod certè ante calendas græcas non fiet. Desinat ergo Maresius hanc suam scabiem nobis affricare. Madent adhuc tria Britanniæ regna sanguine quem rabies Puritanorum non alia ex causa profudit, quam quod per Regem & præsules suos nollent adstringi ad observandos ritus quos prima reformatio instituerat; In Scotia sub coronatione cœgistis regem Carolum iurare in ritus anarchiæ puritanæ; & sic plus iuris vobis in regem arrogastis quàm regi unquam vos habere, passim in vestris scriptis asseveraveratis. Taceo hic pe-*

)(

culiaria

culiaria Puritanismi vestri dogmata quæ vestris obtruditis, Eorum Syllabum refert Danhavverus Theologus Argentinensis Sincerus Lutheranus in tractat. Reformirtes *Salve* vnd fridengruß auff die prob gestellet *pag. 655. 656. Notatu autem digna sunt vestri Salmasii verba, quibus vestrorum Zelotarum furorem perstringit:* Si pilum, *inquit,* unum isti zelotæ haberent Charitatis, quæ præcipua virtus est Christianorum, non propter pilos populum dividerent, & Ecclesiam turbarent. *Missis itaque hisce turbulentis capitibus Catholici cum Augustanis Sacra concordia tentamen aliquod aggressuris sub correctione S.R E. eiusdemque Supremi in terris Rectoris S.D N. ALEXAN RI VII. Pontificis Optimi Maximi, & absque animo legem cuiquam præfigendi modum transigendi sequentem propono.*

I. *Vtrimque tanquam certum Supponatur* SPIRITVM SANCTVM *esse supremum* CONTROVERSIARVM IVDICEM; *quo verò pacto illo munere fungatur, in partes abeunt Catholici & Augustani:*

A. *Catholicorum omnium sententia est, Spiritum Sanctum Iudicis officium peragere, quando* per pontificem & Ecclesiã junctim *aliquid definit ex scriptura vel traditione; multorum judicio etiam Solius pontificis operâ hac in parte Spiritus Sanctus sæpius solet uti. Prior de* fide Catholica *certa est; posterior* theologicæ fidei *certitudinem obtinet. Quicquid ergo à protestantibus demonstrabitur à Pontifice unà cum concilio unquam definitum fuisse, non aliter quam (sicut revera est) Sancti Spiritus oraculum suscipi debet. Quod etiam seorsum Pontifex cum concilio Sacri Collegii Eminentissimorum D. D. Cardinalium aliorumque Prælatorum suorum domesticorum definit vel definitum fuisse declaraverit, nemo Catholicorum in dubium vocabit, multò minus ceu falsum impugnabit; sed vel positivè tuebitur, vel saltem in medio relinquet.*

B. *In Protestantium opinione* Spiritus Sanctus est controversiarum judex *quando per* scripturæ verba *eorumque obvium & perspicuum sensum ita fidei capita proponit ut ea quilibet etiam illiteratus, sive ipse ab alio prælegi audiat inde eruere possit.*

Et licet hæc sententia plures difficultates patiatur, dum

a *Iudicem cum norma confundit.*

b. *Ministerialem iudicem, quem alias suis Consistoriis, ministeriis &* Theologorum *publicè docentium consensui adscribunt, omittit.*

c. *Causæ propriæ plurimùm officit; cum nostri ex inde optimè concludent: Ergo nullum dogma quod non ex obvio Scripturæ sensu absque difficultate ex Scriptura etiam illiteratus eruere potuerit, referendum erit in censum articulorum necessariorum ad salutem.*

Item · Quicquid non nulli protestantes ex Scriptura deducunt neque ab ipsis ceu subversivum salutis habetur, hoc ab aliis pro tali certò haberi & publicè declarari nequit. Aliàs Spiritus S. ex propria illorum hypothesi sibi foret contrarius.

His tamen non attentis per nos fieri potest ut DD. Augustani talem sibi habeant controversiarum judicem, cuius decisionibus illi stare teneantur, ut quoties ex ipso obvio & meridiano iubare clarius radiante sensu convinci poßint, hoc vel illud dogma in scriptura perspicuè contineri, *ad illud admittendum sint adstricti.* Quod *vero tali ratione ex scriptura è vestigio elicere nequeunt, siue illud affirmativum, sive negativum sit, tanquam de fide certum & ad salutem creditu necessarium asserere desinant.*

II. Norma ex mente Catholicorum *erit Scriptura cum* interprete traditione *& quidem* editio vulgata *juxta recognitionē Sixti V. & Clementis* VIII. *hac stringet Catholicos. Protestantium autem erit denominare aliquam editionem Hebraicam Veteris, & græcam Novi Testamenti* quam habeant pro tali quæ cum primis apographis bibliorum ita exquisitè conveniat, ut nullus omninò error saltem capitalis subsit; *quâ semel denominatâ ad illam adstringentur. An autem hoc præstare poßint, illi viderint; certè hucusque in nulla publica confessione vel synodo hoc ab Augustanis tentatum est.* Quin *potius ultro fatentur editionem græcam N. Testamenti ex qua Lutherus suam vernaculam translationem cudit, fuisse truncatam diversis in locis, unde etiam in translatione prima* Wittenbergensi *aliquod loca omissa fuerint, quæ in posterioribus editionibus restituere opus fuit.*

III. *Materiam in qua hoc pacificationis* TENTAMEN *instituendum foret, suggerent diversi jam in lucem dati libri.*

Catholici imprimis exigent rationes ob quas eorum majores ab unitate Ecclesiæ Romanæ secesserint, adhibitis in eum finem egregiis lucubrationibus D. Veronii, P. Gonterii *& RR.* D. D. *Wallenburgiorum.*

Protestantibus vicißim ex abundanti amore pacis indulgebitur à Catholicis *exigere rationes ob quas plures articulos affirmativos fidei certitudine amplectuntur; & ea quæ* D. *Titius in summaria sua ostensione proposuit examinari primò poterunt.*

Denique examinabuntur authoritates & rationes in quibus una pars alteram paßim hactenus accusavit admißi criminis falsi, vel manifestæ ἀσυλλογισίας; & quicunque, sive Catholica sive Protestantica communionis convictus fuerit quod ex Scriptis divinis, Ecclesiasticis, sive illa sint dogmatica sive historica, aliquid premeditatè falsè allegaverit, à sua parte adigatur ad agnoscendum hoc crimen & publicè retractandum. In hunc finem excutiantur tomi Bellarminiani Et annales Baronij à DD. Protestantibus; à nostris Confeßio Catholica D. Gerhardi & Centuria Magdeburgenses. Sit cuilibet parti integrum excerpere sinistras allegationes, saltem magis enormes.

Vt verò tanto evidentius ostendatur Catholicos Augustanis in argumentatione prævaluisse

iße

ipse non absq; omni opera pretio foret tres illos nobilissimos Nostrorum Syllogismos quos in ultimo Colloquio Ratisponensi D. Hunnio alijsque primarijs Augustanis collocutoribus opposuerunt: hic iteratò in medium afferre.

1. pro thesi Catholica:

Ecclesia habet non tantum potestatem restrictam & limitatam sed etiam *absolutam* judicandi, Catholici sequens posuerunt argumentum.

POtestas absoluta judicandi *est illa, cujus sententiæ* absolutè *sine ulteriori disquisitione & examinatione à partibus standum est; quomodo etiam in politia temporali, judicium supremi magistratus vocatur absolutum, cui non licet refragari.*

Atqui in dubia aliqua religionis Controversia Ecclesiæ judicio absolutè sine ulteriore inquisitione *standum est:*

Ergo potestas Ecclesiæ judicandi est absoluta.

Minorem quidem tunc DD. Protestantes negarunt ut habetur in relatione de colloq. Ratisbon fol 41. *sed nostri illam sic præstarunt:*

Si partes non debent absolutè stare *sententiæ & judicio Ecclesiæ, tunc nulla unquam in Ecclesia finiri poterit controversia:*

Sed hoc dictu est absurdissimum: ergo & illud, ex quo sequitur.

Qualiter vi huius syllogismi constricti fuerint Augustani ex dicta relatione peti & in hac pacifica transactionis tentamine ulterius discuti posset.

Pro eadem thesi Secundus Syllogismus.

Ille est iudex absolutus omnium controversiarum, qui iam pro præsenti statu, *absolutam & ultimam sententiam* clarè & distinctè *fert in controversiis:*

Atqui Ecclesia nunc & pro præsenti statu, quando aditur, fert ultimam & absolutam *sententiam* clarè & distinctè *in controversiis fidei.*

Ergo Ecclesia est absolutus iudex controversiarum fidei.

Illa enim est ultima sententia post quam in foro huius mundi non datur alia &c.

Pro *eadem thesi: Tertius Syllogismus.*

Iudex controversiarum in aliquo foro talis esse debet *ad quem omnes habentes aliquas controversias in eo foro, possint adire & accedere:*

Atqui multi sunt in Ecclesia, qui dubia seu controversias circa fidem habent, & ad Ecclesiam quidem facile, sed ad scripturam accedere sive adire non possunt:

Ergo Scriptura non est Iudex, sed Ecclesia.

Distinxere quidem DD Aug. Minorem ratione lectionis *cuius respectu illam ad miserunt, non vero* ratione audi ionis vel meditationis. *Sed nostri illam absolute praesti runt replicando nec per auditionem nec per medita ionem etiam orationibus adhibitis fa*cilem esse aditum *ad scripturam, ne quidē* in articulis fundamentum evertentibus, *quae altera erat Hunny ad minorem propositionem distinctio; unde tandem vel obmutescere vel in notorium illud absurdum* consentire *debuerunt: nullam talem iudicandi authoritatem in Ecclesia divinitus esse constitu am, cuius sententia, medio aut modo aliquo ordinario in omni fidei controversia, quolibet exquiri & addisci possit.*

Si quid novi modernu DD. Augustanus pro huius syllogismi solutione occurreret gratum, bonum foret Catholicu.


IV Modus Collocutionis deberet utique esse Syllogisticus, non tamen ita rigorose ab Evangelicis, meo quidem iudicio, exigendus foret. Permitti posset ut ad modum quo in comitiis & iudiciis proceditur, suam mentem sive oretenus sive etiam ex charta, quàm fieri potest brevissime & apertissime in medium afferant.

Reliquam Dispositionē de tempore, loco & personis *ad hoc arduū negotiū destinandu, illis qui ad clavum tam Ecclesiastici quàm secularis regiminis sedent committo. Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi pronus en xissimus votis adorans ut Ecclesiam suam Sanctam Catholicam pacificare & coadunare dignetur sublatisque Schismatis ab ortu solis usque ad occasum segreges catus ad illius unitatem & pacem reducere dignetur. Fiat, Fiat.*



JUDI-

CENSURA
ORDINARII MOGUNTINI.



Ractatum ſub Titulo AURORA PACIS RELIGIOSÆ, ab Ampliſſimo & Eximio Domino Adolpho Godefrido Voluſio, SS. Theologiæ Doctore, Eminentiſſimi ac Sereniſſimi Principis Electoris & Archiepiſcopi Moguntini, &c. Sigillifero majore, Eccleſiæ Collegiatæ B. M. V. in gradibus Decano &c. concinnatum, à Theologis ad hoc deputatis reviſum, & laudatum; à Nobis etiam perluſtratum, cum nihil inventus ſit continere contra fidem Catholicam, ac bonos mores: multa verò complectatur, quibus in Schiſmate hærentes Proteſtantes, depoſitis novitatibus ad priorem unitatem, Charitatem & Catholicam pacem reducantur, publica luce, pro bono communi, dignum cenſemus. Moguntiæ 2. Martij 1665.

P. de Walenburch Epiſcopus Myſienſis Provicarius Generalis & librorum Cenſor.


JVDI-

JUDICIUM

Reverendissimi in Christo Patris ac Domini,

DN. VVOLTHER à Strevesdorff

Episcopi Ascalonitani & Suffraganei Erfurtensis SS. Theol. Doctoris, ejusdem facultatis in alma Vniversitate Coloniensi senioris, Moguntinæ nostræ Cancellarii meritissimi.




Legi, quantum mea valetudo patiebatur, tractatum sub Titulo AURORA PACIS, &c. tentamen aliquod reconciliandi Protestantes cũ Sancta Catholica Romana Ecclesia ab Adm. Reverendo, Eximio, & Amplissimo Dn. Adolpho Godefrido Volusio SS. Theol. Doctore, Eminentissimi ac Serenissimi Archiepiscopi ac Principis Electoris Moguntini Sigillifero &c. Suggerentem & S. R. Ecclesiam ab omni hæreseos ruga in doctrina, ab idololatria in cultu, & Tyrannide quoad regimen, solidè vindicantem, neque aliquid, quod quidem ab authore assertivè ponitur, contra S. fidem & bonos mores, Canones, Decretales, constitutiones vel praxin Ecclesiæ Romanæ continentem; unde illum luce dignum judico. Signatum Moguntiæ die 7. Martii 1665.

JUDI-

JUDICIUM

Theologorum ad recognoscendum hunc tractatum ab Ordinario Specialiter deputatorum,



Uroram pacis Religiosæ divinæ veritati amicā ab Admodum Reverendo & Amplissimo Domino Adolpho Godefrido Volusio SS. Theologiæ Doctore eximio, Metropolitanæ Ecclesiæ Moguntinensis Pastore & Ecclesiaste ordinario, ad gradus B. M. V. Decano &c. Protonotario Apostolico & Comite Palatino Cæsareo, Consiliario & Sigillifero majori Moguntino &c. Zelosissimè elaboratam: ex commissione speciali Reverendissimi librorum Censoris, accuratè & attentè perlegimus. Opus sanè felici sui authoris ingenio apprimè dignum. Cum ad fulgentissimam veræ fidei (extra quam non est salus) lucem, animas efficaciter præparet: Luce dignissimam judicamus. Dabamus Moguntiæ Anno 1665. die 27. Februarij.

F. Casparus von Cöllen Ord. Prædicatorum SS. Theol. Licent. p. t. Prior Moguntinus.

F. Bonaventura SS. Theologiæ Lector Iubilatus p. t. F.F. Minor Recollect. Guardianus Moguntinus.

APO-



APODIXIS PRÆLIMINARIS evincens pacificationis religiosæ POSSIBILITATEM ex ipsis Protestantium hypothesibus.

ILLARUM ECCLESIARUM RECONCILIATIO NON EST IMPOSSIBILIS, QUÆ CONVENIUNT IN FUNDAMENTIS SALUTIS.

ATQUI (*juxta hypotheses nobilium Protestantium*) COETUS PROTESTANTIUM CUM ECCLESIA ROMANA CONVENIUNT; (*Intelligimus autem Eos Protestantes qui invariatam A. C. verè & sincerè amplectutur*) IN FUNDAMENTO SALUTIS.


ERGO COETUUM AUGUSTANORUM RECONCILIATIO CUM ECCLESIA ROMANA NON EST IMPOSSIBILIS.

Maior suâ luce radiat. Minorem sic præstamus denuò ex hypothesi Protestantium.

TRia primaria Religionis Christianæ sunt fundamenta, teste Turretino disp. 1. de necessariâ secessione ab Ecclesiâ Romanâ thesi XXXI

CHRISTUS FUNDAMENTUM SALVATIONIS

Act. IV. ✝. 12. I. Cor. III. ✝. 11. I. Pet. II. ✝. 4. 5.



SUb hoc includitur Articulus de Vnitate essentiæ in Trinitate personarum divinarum, quæ est basis totius Christianissmi; Non enim qualemcunque Christum Salvationis nostræ authorem & Consummatorem credimus: sed eum, qui ante sæcula natus in temporis plenitudine de Spiritu Sancto conceptus & homo factus est.

Alium

Alium verò Christum ab eo quem ex muliere factum Paulus Apostolus ad Gal. IV. vers 4. pronunciat, Romanam Ecclesiam adorare, si quis lectis hisce nostris cum Maresio Disp. de legitim. causis deserti Papatûs th. XVII. porrò calumnietur, ipsâ calumniâ deterior sit oportet.

SCRIPTVRA EST FVNDAMENTVM INSTRVCTIONIS, quatenus est norma immutabilis fidei firmandæ vitæque formandæ Ephes. II. vers. 20.

GRATIA EST FVNDAMENTVM APPLICATIONIS; quia ex illâ ceu radice progerminat omnis nostra vis ac sufficientia tam in credendo Ephes. II. vers. 8. quàm in operando Rom. VIII. vers. 3. 1. Cor III. vers. 5.

In hisce tribus fundamentis fundamento tenus convenire Romanæ Ecclesiæ cum Protestantibus; imò magis solidè trinum hoc fundamentum Romanam Ecclesiam asserere & explicare, quàm ipsosmet Protestantes ex sequentibus patebit.

N. I.

COETUS Protestantium Augustanorum conveniunt CUM ECCLESIA ROMANA in FUNDAMENTO SALVATIONIS primo & imo, quod est

IESVS CHRISTVS.

A. Sicut enim Catholici firmâ fide credunt, ac intrepido ore profitentur JESVM Christum esse DEI VIVI filium unigenitum ex patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum nō factum, CONSVBSTANTIALEM PATRI, Ex symbolo PP. in Trid. Sess. III; Ita Protestantes statim in vestibulo A. C. publicè profitentur: Ecclesiæ magno consensu apud nos docent Decretū Nicænæ Synodi de unitate essentiæ divinæ, & de tribus personis, verum & sine ullâ dubitatione credendum esse. Ex quibus verbis colligi potest, Protestantes non modò veritatem dogmatis de Trinitate approbare, sed etiam authoritate Synodi Nicænæ fretos hoc fecisse; Vnde

Vnde non dubitavit Joannes Cochlæus in ſuo ad huncArticulum judicio ſcribere: In hoc articulo per omnia conſentimus. Et licet Gravverus hoc mordicùs neget; tamen Balthaſar Menzerus in ſua Exegeſi Aug. Confeſſionis totidem verbis affirmat, quando ait: Hic Art. 1. Aug. Confeſſionis conſtat theſi & antiheſi. Theſis eſt tum de unitate divinæ eſſentiæ, tum de Trinitate perſonarum: QVÆ CONFIRMATVR AVTORITATE SYNODI NICÆNÆ pag. mihi. 30.

B. Hunc JESUM eſſe unum illum redemptionis noſtræ mediatorem apud Patrem 1. Tim. II. verſ. 5. Qui ſanguine ſuo acquiſivit non tantum Eccleſiam Act xx. verſ. 28. ſed tales etiam, qui Chriſtum, à quo empti fuerant, negabant II. Pet. II. verſ. 1. ac proinde totius mundi propitiatio factus eſt I. Joa. II. verſ. 2. Hoc Catholici non tantùm in ſymbolo ſupramemorato profitentur, ſed etiam in Catechiſmo Romano ſcripto planè graviſſimo & ab omnibus Cathol. communionis Doctoribus probato Sanctique Caroli Mediolanenſium Archipræſulis curâ & ſubſidiariâ quoque operâ concinnato luculentum in modum explicatur part. 1. de Art. II. c. 3. n. 3 his verbis: Cum ex altiſſimo dignitatis gradu concidiſſet noſtrum genus, ſublevari inde, & in priſtinum locum reſtitui NVLLO MODO POTERAT HOMINVM AVT ANGELORVM VIRIBVS: quare reliquum erat illud ruinæ & malorum ſubſidium, ut DEI INFINITA VIRTVS, aſſumptâ carnis noſtræ imbecillitate INFINITAM TOLLERET PECCATI VIM, ET NOS RECONCILIARET DEO IN SANGVINE SVO.

Proteſtantes Art. III. Aug. Conf. idem in re profitentur ſequentibus verbis: Filius Dei aſſumpſit humanam naturam in utero B. Mariæ Virginis &c. VT RECONCILIARET NOBIS PATREM, ET HOSTIA ESSET, NON TANTVM PRO CVLPA ORIGINIS, SED ETIAM PRO OMNIBVS ACTVALIBVS HOMINVM PECCATIS.

HuncArticulum, inquit Hoffmeiſterus, meritò à Catholicis acceptum & approbatum eſſe, quoniam apud nos ſic inventus, ſic deprædicatus, & ſic defenſus eſt.

C. Eundem Chriſtum Deum hominem dediſſe Patrem CAPVT SVPER OMNEM ECCLESIAM, quæ eſt corpus ipſius. Ephes. 1.

 verſ

verſ. 23. ita, ut eam nutriat & foveat. verſ. 30. Hoc ſanctè credit & ingenuè agnoſcit Eccleſia Catholica Romana in modo laudatâ Catecheſi. part. 1. de XI. Art. c. 10. n. 11. his verbis: Si quis obijciat, Eccleſiam VNO CAPITE CONTENTAM, præterea nullum requirere: in promptu reſponſio eſt. Vt enim Chriſtum Dominum ſingulorum Sacramentorum non ſolùm AVTHOREM, SED INTIMVM ETIAM PRÆBITOREM HABEMVS, (nam ipſe eſt, qui baptizat, & qui abſolvit, & tamen is homines Sacramentorum externos miniſtros inſtituit) Sic Eccleſiæ, QVAM IPSE INTIMO SPIRITV REGIT, hominem ſuæ Poteſtatis Vicarium & Miniſtrum præfecit.

Hoc Vicarium Chriſtòque ſubordinatum, & non niſi miniſtratorium caput, multi quidem ex Proteſtantibus, etiam Auguſtanis, fœdo Antichriſti cognomento traducunt: in hoc tamen, ut paulo poſt videbimus, omni Scripturæ teſtimonio claro & certo deſtituuntur, & Auguſtanæ Confeſſionis, in qua huius criminationis nec vola, nec veſtigium extat, limites tranſiliunt. Vnde merito ſperamus fore, ut pacificatione in alijs palmarijs dogmatibus, præmiſſâ à blaſphemo hoc ſcommate Proteſtantes ſibi ſint deinceps temperaturi, prout ex illis etiam nonnullos reformatos in Germania & Anglia feciſſe inferiùs recenſebimus.

D. Neque ALIVM à JESV CHRISTO vel PAREM apud Patrem ADVOCATVM Catholica agnoſcit Eccleſia;

Hic enim ſolus ille juſtus eſt, qui Iuſtitiæ ac meriti ſui pretio fultus, noſtrâ vice Deo Patri condignum Maieſtati offenſæ pretium exſoluit, & etiamnum exauditur pro ſuâ reverentiâ. ALII OMNES INTERCESSORES potius, quàm Mediatores Patri non niſi per Filium eiuſdem merito & ſatisfactione freti ſupplicant, id quod Eccleſia in ſuis precibus liturgicis ſignanter indigitat, dum illas hoc proſphonemate concludit: PER DOMINVM NOSTRVM JESVM CHRISTVM &c.

Splendidè itaque ex reformatis recentioribus mentitur Turretinus Genevenſis in ſuâ de neceſſaria Seceſſ. diſp. 1. theſ. XXXIII. quando in Catholicos ſcribens ait: alios mediatores etiam redemptionis excogitarunt, quàm Chriſtum &c. aliud meritum coram Deo, quàm ipſius obedientiam &c.

Auxit hanc calumniam inſigni ſibique familiari crimine falſi publicus ille &

per

per Electoris Coloniensis in Diœcesi Leodiensi Vicarium, jam olim declaratus falsarius & Impostor Samuel Maresius, quando Card. Bellarmino imponit, quod scripserit lib. 1. de indulgentijs, c. 4. Sanctos esse quodammodo nostros redemptores.

Verba Cardinalis autem sic integrè sonant: Si largo modo Redemptor appelletur, quicunque liberat aliquem ab aliquo debito, non erit absurdum, si sancti viri redemptores nostri aliquo modo, id est, SECVNDVM, ALIQVID, NON SIMPLICITER &c. & largo modo, NON IN RIGORE VERBORVM esse dicantur.

Neque tamen etiam cum tali limitatione vel Bellarminus, vel alius quisquam hucusque sanctorum ullum Redemptoris elogio insignivit; Mera igitur calumniandi libido hanc Calvini sobolem ad talia incitat verborum aucupia. Credidit, credit, credetque Ecclesia Romana IN VNVM DOMINVM IESVM SALVATOREM SÆCVLORVM, Rumpantur ut ilia Maresio, Turretinòque.

N. II.

CONvenit Catholicæ Ecclesiæ cum Protestantibus Augustanis IN FUNDAMENTO SECUNDO, quod est INSTRUCTIONIS, sive in Scriptura. Scripturam enim esse fundamentum instructionis, nemo Catholicorum negat. Imo omnes firmiter credunt. Tota namque Ecclesia,

A Scripturæ ORIGINEM divinam certamque agnoscit. Eius sensum & consensum proponit Bellarminus his verbis: Non negamus, quin Deo volente & inspirante Apostoli scripserint, quæ scripserunt; aliud enim est facere aliquid Deo suggerente & inspirante, aliud eo aperte præcipiente. Quamvis igitur Matthæus, teste

Euſebio, l. 5. hiſtor. c. 24. eâ occaſione ſcripſerit, quod Hebræos derelicturus ijs traditæ doctrinæ monumentum derelinquere voluerit. Marcus verò Romanorum precibus compulſus, ut idem narrat Euſebius lib. 2. hiſt. c. 15. Lucas coactus à ſcripturientibus ignaris, Euſebio pariter atteſtante l. cit. Denique Joannes ad preces Aſiæ Præſulum, & ut Ebionem apertius redargueret, ut refert S. Hieronymus in libro de ſcript. Eccles. omnes tamen illi Scriptores ex ſententiâ Eccleſiæ Catholicæ DEO INTVS SVAVITER ET FORTITER ad hoc illos impellente, ſicut cæteri hagiographi, ſuas Evangelicas enarrationes conſignârunt;

Abſit ergo à nobis, ut dicamus FORTE FORTVNA ET PRÆTER OMNEM DEI VOLVNTATEM S. SCRIPTVRAM PRODIISSE IN LVCEM.

B. Authoritas Scripturæ & αὐτοπιςία ex mente Catholicæ Eccleſiæ ETIAM QVOAD NOS non ſic ſuſpenditur à teſtimonio ſeu teſtificatione Eccleſiæ, ut ſi per impoſſibile vel poſſibile Eccleſia illud denegaret, per hoc divinæ authoritati Scripturæ aliquid, quoad ſe, decederet.

Omnes enim Catholici cum Bellarmino l. 1. de Verbo Dei, c. 10. ultro fatentur Eccleſiam NVLLO MODO POSSE FACERE librum canonicum de non canonico, SED TANTVM DECLARARE, quis ſit habendus canonicus, & hoc non temere, nec pro arbitratu, ſed ex veterum teſtimonijs & ſimilitudine librorum, de quibus ambigitur, cum illis, de quibus non ambigitur. Ac demum EX COMMVNI SENSV AC QVASI GVSTV POPVLI CHRISTIANI. Hanc Eccleſiæ Romanæ ſententiam ex proteſtantibus diſſertè comprobat Hokerus Anglus in Polit. Eccl. p. 102, 116. 146. ubi ait: Non eſt verbum Dei, quod effecit, AVT VNQVAM EFFICERE POTEST, ut ſecuri ſimus illud Dei eſſe verbum, SED SOLA ECCLESIÆ AVTHORITAS ID PRÆSTAT.

Eandẽ propugnat illius Hyperaſpiſtes Covellus in defens. 5. l. Hokeri, dicens: Ferenda procul dubio eſt opinio Romanæ Eccleſiæ (Si porrò non tranſgrediatur, ut aliqui in ea non faciunt) Scripturas in ſe quidem eſſe ſanctas & divinas, SED à NOBIS TALES HABERI PROPTER ECCLESIÆ AVTORITATEM &c. vix ab hac ſententiâ diſtat ex Auguſtanis Dietericus in inſtit. Catech. pag. mihi X. quando ait: Eccleſia TAN-

TANTVM TESTATVR librum esse Canonicum: non autem facit, ut sit Canonicus.

Totius itaque controversiæ cardo in hoc vertitur: An non testimonium Ecclesiæ publicum à Spiritu Sancto emanans & in Scriptis SS. Ecclesiæ Doctorum priscorum expressum, nec non in ore totius illius cætus qui usque ad Lutheri Schisma sub obedientiâ summi Pontificis perstitit, resonans, sit præferendum privato illi testimonio, quod suæ conscientiæ perhiberi à Spiritu Sancto quilibet protestantium seorsim sibi persuadet. Sanè quotquot ex protestantibus, suis hypothesibus stare volunt, singulare unius vel paucorum suffragium communi vel plurimorum testimonio nunquam præferent. Hinc enim Polanus inter reformatos famigeratissimus Scriptor quando in syntagmate suo Theologico lib. 1. c. XXXII. disputat contra nonnullos quá veteres quà recentores qui caput. XVI. Marci expunctum volebant ex eo quod nonnullis visũ fuerit dissentire à contextu reliquorũ Evangeliorum conatur ad illas ἀντιλογίας apparentes respondere, Et meo judicio non ineptè At ubi de additamento agit illo quod olim Manichæi textui assuerunt his verbis constans: Et illis satisfaciebant dicentes: seculũ istud, iniquitatis & incredulitatis SUBSTANTIA EST quæ non sinit per immundos Spiritus, veram Dei apprehendi virtutem. Quod additamentum S. Hieronymo teste tom. 2. libro 2. adversus Pelagianos maximè in quibusdam codicibus græcis reperitur. Quid ad hæc Polanus? Ad S. Hieronymi opem primum confugit aitque: Neque in omnibus Exemplaribus ADDITAMENTVM ILLVD FVIT, sed tantum IN QVIBVSDAM exemplaribus fuisse DICIT HIERONYMVS; hoc Primum est asylum; alterum quærit in suffragio totus Ecclesiæ: QVIA AB ECCLESIA COMMVNITER receptum non fuit &c. Eadem ratione tuetur ibidem Historiãm de fletu Christi super Jerusalem & de sudore sanguineo, quam nonnulli olim expunxerant etiam ex neopistis: PARTICVLARE FACTVM inquit, fuit QVORVNDAM, non autem COMMUNE JUDICIUM ECCLESIÆ DEI. Itaque quod pauci itque ignoti fecerunt, NIHIL MORAMUR. Neque alio modo Historiam adulteræ Joh. VIII. Et tersanctũ illud de Trinitate Testimoniũ 1. Joh. V. vers. 7. aliter quàm Ecclæsiæ authoritate & SS. P. P. suffragijs tanquam canonicam asserere novit. Supponit itaque totius Ecclesiæ authoritatem in discernendis canonicis libris apocryphis esse quoad nos ultimam & præcipuam regulam.

C. Neque mens fuit unquam Ecclesiæ Catholicæ, quicquid oggiannat Turrettinus post alios supra Scripturæ iudicium controversiarum fidei ita abrogare, ut non simul manifestè profiteatur ILLAM ESSE INVARIABILEM ET ÆTERNAM fidei firmandæ vitæque formandæ REGULAM, juxta cuius ductum oporteat omnes Pastores & Doctoris, ec ipsumque adeò summum totius militantis Ecclesiæ Rectorem ROMANUM PONTIFICEM sua formare decreta tam fidei quàm morum. In hoc conveniunt omnes Catholici, tam illi, qui Pontificis infallibilitatem extra conciliarem admittunt, quàm qui illam saltem de fide Catholicâ certam esse inficiantur.

Ex posterioribus audiamus loquentem Alphonsum à Castro l. 1. adversus hæres. c. 4. Non credo aliquem esse adeò impudentem Papę assentatorem, ut ei tribuere hoc velit, ut nec errare, aut interpretatione sacrarum Scripturarum hallucinari possit.

Stapletonus l. 8. de doctr. princip. c. 14. Pontificem, ait DEBERE DILIGENTIAM ADHIBERE ad rimandam veritatem, cùm eius doctrina sit discursiva in mediis: Alterius verò sententiæ, quæ hodie communior habetur, authores in hoc cùm prioribus ex asse conveniunt. Sic enim Bellarminus eorum primipilus l. 1. de concil. c. xi. §. Etsi verò; Etsi verò summus Pontifex Judex est vice Christi omnium controversiarum tamen non debet Pontifex in controversijs fidei dijudicandis AUT SOLO SUO JUDICIO FIDERE, AUT EXSPECTARE DIVINAM REVELATIONEM, sed adhibere diligentiam, quantam res tanta postulat, & ordinaria media, ET TUM DEMUM EXSPECTARE ASSISTENTIAM SPIRITUS SANCTI, ET DIRECTIONEM DIVINAM.

D. Multò minus ab Ecclesiâ Catholicâ, Sacræ Scripturæ conciliorum vel Pontificum decreta omnimodè exæquantur. Imò eadem nostrorum Doctorum omnium cum Bellarmino l. 2. de Concil. c. 12. §. observandū &c. vox est atque sententia: MULTIPLEX EST DISCRIMEN inter Scripturam Sacram & Conciliorum decreta &c. In Scripturâ enim (addit §. quartum est) non solùm sententiæ, sed etiam verba omnia & singula ad fidem

dem pertinent; Credimus enim NVLLVM ESSE VERBVM IN SCRIPTVRA frustra aut non rectè positum: at in Concilijs MAXIMA PARS ACTORVM ad fidem non pertinet.

E. Quod verò scripturam Imperfectionis arguamus ex eo quia Traditiones non scriptas urgemus, easque quantum rei certitudinem ijs comprehensam attinet, PARI PIETATIS AFFECTV ET REVERENTIA cum scripturis suscipiamus juxta sanctionem Trident. Concil sess. iv. Gratis fingitur; Omnes enim Catholici constanter credunt & profitentur QVICQVID FIDES CHRISTIANA CREDIT, IN SCRIPTVRA FVNDATVM ESSE VEL PROXIME, quia in eâ formaliter continetur, vel REMOTE, quia in Scripturâ approbatur authoritas, in qua Veritates illæ fundantur, siue illa authoritas sit Traditio, sive Ecclesia.

Et in hoc nos sequi modum loquendi S. Augustini l. 1. contra Cresconiũ, c. 23, 33. docet P. Suarez l. 1. defensis. fidei adversus Anglicanæ sectæ errores, c. 9. n. 7. quod verò ille cum pluribus recentioribus ab illâ loquendi ratione deflectat, & uberioris explicationis gratia scripturam fidei regulam partialẽ nuncupet, in hoc non tam regulam quam Explicationem huius regulæ in necessariis cum S. Augustino in Enchiridio ad Laurentium indubiè intelligit. Merito itaq; cum vetustissimo scriptore Tertulliano lib. contra Hermogenem cap. xxii. SCRIPTVRÆ PLENITVDINEM ADORAMVS.

Traditiones enim Apostolicæ non tã partẽ regulæ credendi in necessarijs seu explicitè ab omnibus & singulis credendis quam illius interpretem faciunt. Exceptâ unâ illâ ab ipso Brentio nobili protestante recepta, quæ nobis testatur de identitate & conformitate apographorum biblicorum cum originalibus illis, quæ ante tot sæcula temporum hominumque iniuriâ nobis periêre. Mentitur itaque Maresius in disp. de legitimis causis deserti papatus th. xviii. p. 34. quando more suo rhetoricatur & vociferatur Doctrinam publicam Ecclesiæ Romanæ multifariam impingere IN FVNDAMENTVM; nec enim in ædificare rupi scripturarum & fundamento Prophetarum & Apostolorum Eph. 2 vers. 20. sed arenæ traditionum humanarum ab ipso Christo rejectarum Matt. xv vers. 9.

Sic non agit vir ille Theologum, sed insignem agyrtam quo scommate petit celeberrimum Veronium disp. 2. de legit. causis deserti Papatus, thes. xix. Non enim in nostris dogmatis ita jejunus est Maresius, ut nesciat per nostros distingui

 Tra-

Traditiones Apoſtolicas ſeu divinas, Phariſaicas ſive Diabolicas, Eccleſiaſticas ſive humanas, juri tamen divino haud contrarias.

Primigeneris traditiones adoramus, & cum Baronio ad ann. Chriſti LIII. tanti ponderis eſſe affirmanus, VT FVNDAMENTVM EXISTANT IPSARVM, SCRIPTVRARVM non quod attinet illarum eſſentiam, ſed quod reſpicit illarum evidentiam ſeu notitiam & hoc quoad nos. *Secundi generis traditiones* cum Chriſto damnamus ceu fatuas & impias ut videri poteſt apud Galatinum lib. 1. Ex capitulis R. Eleazar in libro Zoar & R. Recanad. in c. 4. Geneſeos *Tertii verò generis ſuo* loco habemus nunquam vero divinis literis æquiparamus.

F. Nullus etiam Catholicorum, multò minus vniverſa Eccleſia Catholica unquam ſcripturæ ſcabiem OMNIMODÆ OBSCVRITATIS affricavit. Lutheri errorem, à ſuiſmet ſequacibus iam dudum correctum, quo in libro de ſervo arbitrio Totam Scripturam peræquè claram ſtatuerat, noſtri paſſim refutârunt.

Hodie verò vix in re ullâ ſupereſt notabilis controverſia; vtrimque enim agnoſcitur verum eſſe, quod in Celſum ſcripſit Origenes lib. 7. SCRIPTVRA IN MVLTIS LOCIS EST OBSCVRA &c. Per hoc tamen non derogatur Veritati effati D. Auguſtini, tom. 3. lib. 2. de doctrinâ Chriſtianâ cap. VI. Magnificè & ſalubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas Sanctas modificavit, VT LOCIS APERTIORIBVS fami occurreret, OBSCVRIORIBVS autem faſtidia detergeret; NIHIL ENIM FERE DE ILLIS OBSCURITATIBUS eruitur, QVOD NON PLANISSIME alibi dictúm reperiatur.

Quemadmodum igitur quilibet etiam doctiſſimorum meritò cum modo laudato Hipponenſi præſule confiteri debet Epiſt. CXIX. cap. 21 Se in Scripturis plura neſcire quàm ſcire, ita nullatenus eſt dubitandum, quin Deus & Salvator noſter JESUS CHRISTUS Eccleſiæ ſuæ de dono interpretandi copioſè proſpexerit, neque ita officium publicè ſacras literas interpretandi Eccleſiæ Prælatis ac Doctoribus commiſſerit, ut non etiam reliquis in Chriſtum credentibus, iuxta menſuram fidei donum interpretandi ſcripturas, ſaltem in rebus creditu factuque magis neceſſarijs, conceſſerit.

Tota ergo quæſtio (inquit Bellarminus lib. 3. de interpret. Verbi Dei, c. 3. §. Tota) in eo poſita eſt, VBI SIT ILLE SPIRITVS, juxta cuius dictamen ſcripturæ exponi debeant, ut indubitatus illorum ſenſus habeatur.

Nos (Catholici) firmiter credimus hunc Spiritû, ETSI MVLTIS PRIVATIS HOMI-

HOMINIBUS SÆPE CONCEDITUR, tamē certò inveniri in Ecclesiâ Dei, id est, IN CONCILIO EPISCOPORUM confirmato à Summo totius Ecclesiæ Pastore, vel in notoria Ecclesiæ praxi. Distinguendū itaq; est inter interpretationem publicam & simul authenticam, & inter interpretationem privatam & minus certam. Illam ab Ecclesiâ exspectare oportet, quæ ex traditione Apostolicâ semper & ubique receptâ & conservatâ vel in concilio generali, vel per praxin universalem Ecclesiæ declarat, quonam sensu scripturæ verba in se multoties diversorum interpretamentorum capacia præcisè sumenda sint. Explicationes autem privatorum ut ut doctissimorum nec non pientissimorum hominum, quas per enucleationem verborum & consequentias eliciunt, nullam fidei Catholicæ certitudinem pariunt, ut egregiè demonstrârunt DD. Walenburgici in IV. motivo Principis Ernesti, & in append. part. 2. Method. August.

G. Absit etiam à mente S. Matris nostræ Ecclesiæ Catholicæ ut divinis literis suam detrahat PURITATEM, aut ipsos fontes corruptionis alicuius insimulet. Potius ingemiscit, quoties recordatur veros illos primosque fontes Divinæ Scripturæ tam V. quàm N. T. puta, illa Moysis, Prophetarum & Apostolorum volumina, quæ illimet vel eorum primi amanuenses illis dictantibus conscripserant, Iudæorum, Gentilium & hereticorum incuria & iniuria sic esse deperdita, ut hodie, si Isaaco Vossio lib. de translat. LXX. interpret. c. 29. credere licet, nullum notum sit exemplar Pentateuchi antiquius codice Samaritico, qui hodie extat in bibliothecâ Card. Mazarini. Puncta etiam Masorethica, à quibus lectio moderni textus Hebraici dependet, ita sint recentia, ut inter bis mille codices, quos idem Vossius se vidisse affirmat, nullum huiuscemodi apicibus notatum exemplar repererit, quod non esset sex sæculis recentius, ibid. c. 30.

Non itaque Scripturæ insultamus, sed amarè dolemus Dei justo iudicio Sathanæ ministros tales insultus in divinas literas fecisse, ut nulla apographa Hebraici Græcique contextus de utroque instrumento supersint de fide certa. Sanè nisi Deus per S. Hieronymū sub Papæ Damasi auspiciis ante tot sæcula vetustissimam illam editionem Italam ex optimis eo tempore per Orientem adhuc prostantibus exemplaribus Hebraicis & LXX. interpretum Veteris: ut & Græcis Syrisue seu Hebraicis Novi Testamenti recognosci & tam eruditis commentariis illustrari curasset, quanta & quàm enormia falsi crimina perfidi Hebræorum

Rabbini in S. textu non commisissent! A quo se in multis continere sine dubio per Christianorum biblia coacti sunt.

An verò absque omni fraude processerint librarij illi recutiti, quibus ante, non post Christum, tradita fuerant Dei eloquia, sub judice Scholastico lis est.

Per nos licet huic vel illi sententiæ subscribere; modò quis credat editionem Latinam, S. Hieronymi operâ & Damasi Papæ iussu recognitam, nihil continere quo primi illi fontes tam Hebraici quàm Græci lutulenti facti sint.

Quæ res ita certa est, ut etiam nobiles authores inter protestantes, puta Ludovicus Capellus, Vsserio teste, vir doctissimus & Hebraicæ Literaturæ callentissimus, illam omnibus hodiernis bibliis Masorethicis prætulerit, Ante Capellum Beza in præfat. ad Testamentum Cantabrigiæ in Anglia Anno 1642. edit. vulgatum nostrum hisce verbis propugnat: Erasmus quàm immeritò multis veterem interpretem reprehendit, tanquam à Græcis dissentientem? dissentiebat, fateor, ab iis Exemplaribus quæ ille nactus erat: sed non uno loco comperimus aliorum codicum, & quidē vetustissimorum authoritate eam interpretationem niti quam ille reprehendit. Quin etiam aliquot locis animadvertimus veteris interpretis lectionem, quamvis cum nostris græcis Exemplaribus interdum ei non conveniat, tamen ipsis rebus multò melius quadrare: Nempe quod ille, quisquis fuit, emendatius aliquod Exemplar nactus esset.

Et si licuit iam sæculo II. Origeni contra quendam Aphricanum, nobilem aliàs scriptorem, scribere: Nequaquam Judæorum commentis & fraudibus auscultandum, SED HOC SOLVM VERVM HABENDVM in Scripturis divinis, quod LXX. interpretes transtulissent, idque AVTORITATE APOSTOLICA ESSE CONFIRMATVM, ut refert Nauclerus volum. II. Chronographiæ generat. VIII. fol. mihi XXIX. p. 2. Cur hodie ita superstitiosè bibliis Rabinicis inhæreamus, iisque plus quàm omnibus Christianæ religionis Patribus, ipsisque adeò Apostolis tribuamus. Maximè postquam antelaudatus Vossius non dubitat, frendentibus licet aliis suæ confessionis scriptoribus, asserere: Antiquam versionem latinam (à qua sine dubio non est alia vulgata nostra) ab Apostolicis temporibus usque ad Hieronymum obtinuisse.

Sicut ergo Ecclesiæ Orientales, LXX. interpretum editionē, Ecclesiæ autem occiduæ antiquam suam latinam iam primis illis sæculis, Hebraicis Judæorum bibliis prætulerunt, ita nos hisce novissimis temporibus longè fortius eorū vestigia legere oportet. Absit tamen ut ideò editiones Hebraicas prorsus abijciamus.

Nulli

Nulli certè fuerunt, qui in illis plus operæ impenderunt, quàm qui Catholicæ communionis extiterunt.

Laudo ex multis Ariam Montanum, Santem Pagnium. Qui verò expensas primas fecerunt: Reges ac Principes Catholicæ Ecclesiæ. Philippus II. Hispaniarum Monarcha. Ximenes S.R.E. Cardinalis. Nostrâ ætate, Ludouicus XIV. Rex Christianissimus, Cardinalis Mazarinus &c.

H. Neque finem primarium S. Scripturæ in dubium vocamus, eamq; fidei normam esse inficiamur, quidquid blateret Turretinus, quem ad Lectionem Bellarmini remittimus, publicè & totius Ecclesiæ nomine scribentis l. 1. de Verbo Dei, c. 1. Illud inprimis statuendum erit: Propheticos & Apostolicos libros &c. verum esse verbum Dei, & certam ac stabilem Regulam.

I. Vsum uero Scripturæ quod attinet, tantum abest ut Ecclesia quenquam illo interdicat, qui Hebraicæ, Græcæ vel Latinæ Linguæ gnarus est, ut potius omnibus modis suos ad Lectionẽ S. Literarum inducere allaboraverit. Eâ fini Clericis & Religiosis certum biblicæ Lectionis pensum dietim iniunxit, quod inter alios Sacrosanctè observant religiosissimi Patres Carthusiani, quibus nefas est intra anni decursum totius Scripturæ V. ac N. T. contextum publicâ Lectione non absoluere. Eandem ob causam ante typographiæ adinuentionem in omnibus Regularium ascceterijs & pluribus Collegijs sæcularium Canonicorum plures scriptioni diuinarum Literarum deputabantur, ut sæcularibus inde copia fieret verbi divini. Et quis dicat ante Lutheri turbas Lectionem S. Scripturæ in desuetudinem abijsse, cùm præ oculis iaceant tam spissa volumina glossarum ordinariæ, interlinearis &c. Postillarum Lyranni, Brugensis, Card. Vgonis de S. Charo, Card. Vitriaci, Dionysij Carthusiani, Abulensis, aliorumq; quàm plurium.

Ne quidem post Lutherum in comparationem venire possunt protestantiũ lucubrationes in Scripturam cum nostrorũ monumentis. Certe Caietani, Malvendæ, Stellæ, Feri, Salmeronis, Peretij, Estij, Emanuelis Sà, Toleti, Cornelij à Lapide, Tyrini, Menochij, Escobaris, Bonfrerij, Celadæ, Naxeræ, Pinnæ, Schelogi, Baēzæ Iustiniani, Aponte commentarij & annotationes, ut (sexcentos alios silentij pede sicco prætercam) sic omnium protestantium Labores præcellunt,

 ut suis-

ut suismet sequacibus hi præ illis sordeant: Vix enim aliquid notatu dignum in Luthero, Calvino, Beza, Marlorato, Chemnicio, Lysero, Tossano, Pareo, Piscatore, Osiandro, Riueto &c. reperias, quod non vel ex anterioribus, vel posterioribus Catholicæ communionis interpretibus deps erint. Vnde iam dudum in proverbium abijt: Si Lyra non lirasset, Lutherus non saltasset.

Si verò studium & diligentiam sæcularium in divinis Literis versandis attendamus, ne in hoc quidem fervor Catholicorum unquam protestantibus vel in minimo cessit. Ostendant nobis protestantes à tempore, quo partem Lutheri secuti sunt, vel unum, non dicam Regem, Principem, Comitem, vel Nobilem, sed ex Literatis & togatis suis, de quo cum veritate testari possint id, quod de Alphonso Neapolis & Aragoniæ Rege Panormitanus Scriptor gravissimus, & ex eo religiosissimus Pater Jeremias Drexelius lib. 3 heliotrop. c. 2. §. 4. memorat, illum legisse TOTA BIBLIA VETVS ET NOVVM TESTAMENTVM DECIES QVATER, non obiter, sed presso vestigio.

Qualiter S. Scripturam in succum & Sangvinem converterit suum Beata Hildegardis Ecclesiæ Moguntiæ Sydus illiustre: nostrâ ætate Serahpica Virgo & Mater Theresia Abulensis Hispana; in Holandiâ adhuc superstes ruricola, Opificio Sutor, qui eiuratâ Calvinianæ hæreseos prauitate, jam anno 1648. acutissimo scripto Spermologum illum Leidensem Petrum Cabelliaú confixit, & iam maritus post conversionem Linguam Hebraicam ita perfectè addidicit ut cum Rabbinizantibus præconibus batauis non semel gloriosè certando, eosdem in ruborem dederit novit tota Hollandia.

Non minora specimina profectus sui spiritualis in S. Literis edidit contra turbam prædicanticam plebeius quidam ruricola dictus Flamschenbur / qui antilogias & falsificationes versionum belgicarum, quæ ex officinâ sectariorum prodierunt, tam egregiè perstrinxit, ut satis inde palpare potuerint aduersarij, illum Biblia etiam Holandica diligenter & frequenter perlegisse, etiam sub imperio Hispanorum, & in locis ubi plenius dominatur Papa, ut Maresius loqui amat.

Hæc tamen omnia hucusque non potuerunt reprimere proteruam maledicentiam sæpedicti Maresij, ut non recenter adhuc his S.R. Ecclesiam proscinderet disp. de causis deserti Papatus, thes. XVI. Quod furum est, Lucernam reponit sub modio ac plebi Christianæ interdicit Lectioni Testamenti paterni, ne ad illius lucem dispalescat mysterium iniquitatis; adeò ut etiamnum hodie, ubi plenius Papa dominatur, CAPITALE SIT SACRAM SCHRIPTVRAM, aut ullam illius partem, quacunq; linguâ vulgari expressam, domi vel habere vel legere; idq; iuxta regulam IV. Judicis Expurgatorij &c: Erras,

Erras Si non mentiris, Maresi; nullibi absolutè capitale est, habere S. SCRIPTVRAM in linguam vernaculam translatam. In Hispanijs & Italia requiritur consensus Inquisitorum, obtentu facillimus, dummodo versio non sit ab hæreticis Geneuensibus cusa, sed à Theologis orthodoxis examinata & approbata: In Galliis, Belgio, Germaniâ, Vngariâ, Poloniâ &c: nunquam interdictum Jndicis expurgatorii fuit receptum; & in singulis illis regnis diuersæ prostant versiones, quas legere cuilibet Catholico Christiano integrum est.

Faciamus, Maresi, aliquem Socinianum Arminij pallio tectum in Belgio vestro cudere Bibliorum nouam versionem ad gustum hæreseos Neo-Arrianæ cum notis ex Schmalzio & alijs id commatis authoribus desumptis, sicut vester Marloratus ex Calvino & aliis eius complicibus in V. T. Waleus in N. T. ex ijsdem glossas congessit reformatas, eamq; Groningam ferre & urbis illius ditionisq; circumiacentis incolas ad illarum emptionem & Lectionem pellicere; An non omnem movebis lapidem, ut authoritate Magistratus tales bibliorum codices confiscentur, hominibus præsertim simplicioribus eripiantur, & manu lictoris Vulcano consecrentur? Hoc Maresio licet, cum Socino, si non in eâdem, saltem simili hæreseos naui, nauiganti: Et non licebit Romano Pontifici, Catholicis Episcopis, alijsq; Ecclesiæ Præpositis ab imperatore. Regibus, Principibusq; exigere, ut in suis territorijs adulteratum Dei verbum proscribere satagant?

Sed arctius adhuc constringamus hunc filium Belial: Dic nobis, Maresi, Lectio Scripturæ in linguam vulgarem translata, estne simpliciter omnibus legere callentibus necessaria, vel duntaxat utilis & arbitraria?

Si primum dicis, plurimos de grege Caluini ad orcum relegas, qui vix integro anni spatio unicam horam Lectioni biblicæ impendunt, quamuis alios libros suæ facultatis, status & conditionis identidem versent, & cætera honestè viuant.

Si secundum, cur id, quod hominis arbitrio Christus commisit, tu ad præcepti rigorem pertrahere intendis? Vbi in toto codice N. T. Christus vel Apostoli Scripturæ Lectionem præceperunt. Passim profertur locus Ioh. v. ℣. 39. Scrutamini Scripturas &c. Sed audi, quàm egregiè Beza futilitatem argumenti, ex hoc loco petiti retundat: quamvis istud ἐρευνᾶτε Scrutamini, ut & Syrus interpres, accipiant Imperandi modo, assentior tamen Cyrillo disertè monenti, hæc potius Indicandi verbo intelligenda; Sic enim postulat annotatio verbi δοκεῖτε, quam observans Chrysostomus, rectè notat Christum non dixisse ἔχετε habetis, Sed δοκεῖτε ἔχειν, opiniamini vos habere. Vtens autem verbo

præ-

præsentis temporis ἴχειν eorum falsam opinionem pharisaicam carpit, qui se se jam æternam vitam SVA ILLA DILIGENTI SCRIPTVRARVM LECTIONE ADEPTOS SOMNIARENT. hactenus Beza.

Huic subscribit Piscator in suâ vernaculâ translatione: Frustra ergo sunt alii ex hoc Christi effato præceptum LEGENDI SCRIPTVRAS inferre conantes. Neq; maioris momenti est pro euincendo præcepto lectionis biblicæ allegatio loci Coloss. iii. ℣. 16. Sermo Dei habitet in vobis copiosè cum omni sapientiâ. quo textu ex protestantibus Scheiblerus contra Walenburgios bibliorum Lectionem etiam sæcularibus præceptam esse inferre volvit, nam præter solutionem nostrorũ, qui inter sermonem Dei & scripturæ lectionem ingens esse discrimen rectè reponebant, ex ipsis protestantibus hunc Pauli Locum sequenti exegesi Osiander explanat: (laßet wohnen) Daß es viel vnd offt bey Euch ohne Hindernus geprediget / vnd die Himmlische Weißheit / so in der H. Schrifft fürgehalten wird / mit fleiß gelehret werde ꝛc. Frustra ergo sunt, quotquot ex hoc loco præceptum lectionis biblicæ omnes promiscuè obligans demonstratum eunt. Audire Moysen & Prophetas Epulonis fratres iussit Abraham Lu. XVI. vers. 29. ad legendos nullo præceptó illos adstringxit.

Neq; tamen per hoc utilitatem Lectionis biblicæ negamus, dum modo in eâ plebeij & rudiores suis viribus non fidant, sed provectiores consulant. Crebro etiam Pastores suos adeant, id quod à suis Chamier, reformatorum Scriptorum doctissimus tom. 1. panstrat. lib. x. de Can. c. 6. exigit; ubi etiam ingenuè fatetur, non esse necesse, ut quisque suis oculis biblicos characteres percurrat. &c. & non paucos esse qui credant EX SOLA TRADITIONE, id est, INSTRVCTIONE.

N. III.

Cum Ecclesia Catholica Romana conveniunt protestantium Augustanorum cætus in tertio fundamento, quod est APPLICATIONIS seu gratiæ per Iesum Christum factæ saltem quoad ea, quæ positive universim credunt.

GRATIÆ enim

Creditur in & ab Ecclesiâ Romana

A. OMNIMODA NECESSITAS contra Pharisaismũ & Pelagianismum. Audiat orbis Christianus, quàm dilucidè & quàm exertè

hanc

hanc fidei Veritatem jam olim in priscis illis Synodis Arausicana II. can. 22. & per S. Innocentium Epist. ad concil. Carthag, quæ est 91. inter Epist. Augustini Cælestinum etiam pontificem Romanum Epist. ad Gallos, cap. 6. contra Pelagium ipsum asseruerit.

Neque his Pontificibus contrarius fuit Zozimus, aut in Causâ Celestij Pelagiani erravit, ut splendidè mentitur Maresius in synopsi doctrinæ de gratiâ, præfat. ad lect. quem sanè depuduisse oportet, quando in tam luculenti mendacij consortium pertrahere audet S. Augustinum lib. 2. ad Bonifacium contra duas Epist. Pelagianorum, c. 3. & 4, Te enim, Christiane Lector, obtestor, ut ex hoc unico falsi crimine iudices, an Maresio deinceps vel tantillum fidei à quoquam cordato adhiberi possit: Verba S. Augustini ita sonant loco à Maresio citato:

Tot & tantis inter Apostolicam Sedem & Afros Episcopos currentibus & recurrentibus scriptis Ecclesiasticis, etiam gestis de hac causâ apud illam Sedem, Celestio præsente & respondente confectis. Quænam tandem Epistola VENERANDÆ MEMORIÆ Papæ ZOZIMI, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci? NVSQVAM PRORSVS HOC DIXIT, NVSQVAM OMNINO CONSCRIPSIT. Sed cùm hoc Celestius in suo libello posuisset inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare & instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenij, qui profectò si corrigeretur, plurimis profuisset, VOLVNTAS EMENDATIONIS, NON FALSITAS DOGMATIS APPROBATA EST.

Eod. tom. VII. lib. 2. contra Pelagium & Celestium de peccato originali cap. 6. 7. de facto Papæ Zozimi cum Celestio ita testatur Hipponensis Episcopus: Multum misericors Apostolicæ Sedis Antistes (Zozimus) ubi eum vidit ferri tantâ præsumptione præcipitem, tanquam furentem, donec, si posset fieri, resipisceret, maluit eum sensim suis interrogationibus & illius responsionibus Colligare, quàm districtam ferendo sententiam, in illud abruptum, quò iam pendere uidebatur, Impellere. Ideo autem non dixi apertè, ceciderat, sed propendere videbatur: quia superius in eodem libello suo de huiusmodi quæstionibus locuturus antea prædixerat: SI FORTE ut, hominibus QVISPIAM IGNORANTIÆ ERROR OBREPSERIT, VESTRA SENTENTIA CORRIGATVR. Hanc eius prælocutionem

tionem VENERABILIS PAPA ZOSIMVS tenens, egit cum homine, quem falsæ doctrinæ ventus inflauerat, ut ea, quæ ei à Diacono Paulino obiecta fuerant, damnaret, Atque VT SEDIS APOSTOLICÆ LITERIS QVÆ A SANCTÆ MEMORIÆ PRÆCESSORE MANAVERANT præberet assensum.

At ille noluit quidem Diaconi obiecta damnare; sed BEATI PAPÆ INNOCENTII LITERIS NON EST AVSVS OBSISTERE, imò se omnia quæ SEDES ILLA DAMNARET, DAMNATVRVM SE ESSE PROMISIT, atque ita velut phreneticus, ut requiesceret tanquam leniter fotus, à vinculis tamen Excommunicationis nondum est creditus esse solvendus. Sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africâ, resipiscendi ei Locus sub quadam medicinali sententiæ lenitate concessus est Quid hîc erroris commiserit Zosimus, ego non video, non vidit Augustinus, sed solum illud Gronnigense Silicernium Scilicet post tot secula Maresius acutius perspexit mentem Zosimi quam Celestinus qui Epist ad Galliæ. Episcopos c. 9. Zosymi papæ verba ex ejus epist. ad Episcopos totius orbis recenset : in omnibus actibus, causis, cogitarionibus, moribus adjutorem & protectorem orandum esse Deum &c. An hæc Pelagium sapunt? Vide tract. P. F. Francisci à s. Clara problem. VII. pag. 31.

Quàm verò constanter Sacrum Concilium Tridentium ex œcumecinis novissimum huic veritati inhæserit, ex sequentibus patescit Seff. VI. can. 1. 2 3.

Si quis dixerit, hominem suis operibus, vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiant, ABSQVE DIVINA PER IESVM CHRISTVM GRATIA posse iustificari coram Deo, anathema sit.

Si quis dixerit, ad hoc solùm divinam gratiam per Christum Jesum dari, VT FACILIVS homo iuste vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium SINE GRATIA utrumq; SED ÆGRE TAMEN ET DIFFICVLTER possit, anathema sit.

Si quis dixerit, SINE PRÆVENIENTE, Spiritus Sancti inspiratione, atque Eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.

Potuis-

Potuiſſet ne hæc Synodus Sancta Pelagianæ pravitatis lolium magis radicitus evellere?

Rectè in hoc ſtatuit Gebennenſis Turretinus: Gratiam maxime gratum facientem basin eſſe & fundamentum totius Chriſtianiſmi, QVO POSITO ponitur, & quo SVBLATO tollitur, Præſertim in ordinè aſſequandam ſalutem.

Hanc autem gratiam à Catholicis non modò obſcurati, Sed & everti, & de ſolio deturbari, mentiar, ſi non eſt mendaciſſimum & acheronticum Turretini mendacium. Aequus Lector per Chriſtum Ieſum omnis gratiæ authorem & Largitorem, ex dicendis inter nos & adverſarios judicium ferat.

GRATIÆ RATIO INTRINSECA

B. Ratio intrinſeca ſeu ut in ſcholis loquimur, Quidditas, eſt purum putum omneq; hominis meritum antegrediens Dei noſtri miſerentis donum naturæ omnino indebitum, in ſe vero perfectum à parte Luminum, Iac. 1. ỷ. 17. maximum & pretioſum, II. Pet. 1. ỷ. 4. Siue eam reſpiciamus

a In decreto prædeſtinationis ſaltem quoad actum Intentionis; Sic enim in communiori & ſecuriori DD. Sententià, eſt ante omne præviſum meritum humanum.

Teſtem in hoc puncto Laudo illum, quem ex ore Chriſti commendat Eccleſia Chriſti. S. Thomam j. part. q. XXXIII. art. 5. in corpore, ubi ſic infit: Nullus, inquit fuit Ita inſanæ mentis, qui diceret merita eſſe cauſam divinæ prædeſtinationis: Sed hoc ſub quæſtione vertitur, utrum ex parte effectus prædeſtinatio, habeat aliquam cauſam. Et hoc eſt quærere, utrum Deus præordinaverit ſe daturum effectum prædeſtinationis alicui PROPTER MERITA ALIQVA &c.

Fuerunt, qui dixerunt, quod MERITA PRÆEXISTENTIA in hac vitâ, ſunt ratio & cauſa effectus prædeſtinationis, &c.

Fuerunt alij, QVOD MERITA SEQVENTIA prædeſtinationis, ut intelligatur quod ideo Deus dat gratiam alicui, & præordinauit ſe ei daturum, QVIA PRÆSCIVIT EVM BENE VSVRVM GRATIA &c.

Dicendum eſt ergo, quod effectum prædeſtinationis conſiderare poſſumus

 dupli-

dupliciter: Vno modo in particulari. Et sic nihil prohibet aliquẽ effectum prædestinationis esse causam & rationem alterius. Posteriorem quidem prioris secundum rationem causæ finalis: priorem verò posteriores secundum rationem causæ meritoriæ, quæ reducitur ad dispositionem materiæ, quod Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis: *& quod praordinavit se daturum alicui gratiam, ut mereretur gloriam.*

Alio modo potest considerari prædestinationis effectus in communi ET SIC IMPOSSIBILE EST, quod totus prædestinationis effectus in communi habeat ALIQVAM CAVSAM EX PARTE NOSTRA: Quia quicquid est in homine ordinans ipsum in salutem, comprehenditur totum sub effectu prædestnationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam.

Si secus nonnulli nostrorum in hac materiâ senserint, & prædestinationis actum ob præuisa merita contigisse dixerint, neminem ad huius opinionis assensum adstringere possunt. Quemadmodum apud Reformatos in materiâ prædestinationis Antelapsarij à post lapsarijs tolerantur; sic etiam in Catholicâ communione S. Thomas, D. Bonaventuram, Et post Lutheri schisma Suaretzitus Vasquetium mutuo tolerarunt, quia abyssum judiciorum diuinorum nemo ita exactè penetrare potest, Unde etiam Ecclesia ab huius quæstionis sublimissimæ determinatione abstinuit. Neq; hodie inter A. Confessionis sectatores & Catholicæ communionis scriptores in renotabile est sententiarũ divortiũ, ex quo Ægidio Hunnio ad laborante expoloso absoluto reprobationis decreto protestantes sese paulatim ad sententiã primorũ quatuor seculorũ nempe decretum juxta præscientiam factam, receperunt, ut loquitur Calixtus in consult. de tolerantia A Confessionis reform. Anno 1659. per filium edita.

b. Quod vero Decreti huius Executionem attinet, cum protestantibus conuenimus in sequentibus.

α. Redemptionis acquisitionem seu impetrationem esse in Christo; Elegit enim nos Pater in Christo ante mundi constitutionem, & prædestinauit nos in adoptionem filiorum per IESVM Christum Ephes. 1. 4. 5.

β Redemptionis applicationem similiter fieri propter Christi meritum & satisfactionem 1. Cor. 1. vers. 30. Et quamvis ex reformatis pleriq; nolint impetrationem gratiæ eiusdem applicatione latius extendi, quando tamen post Hunnium A. C. Sectatores in eandem nobiscum sententiam coaluerunt, & sincerè fatentur Christum eâ intentione mortuum esse, ut omnibus gratiam etiam sanctificantem obtineret, eamque applicaret, vix alicuius momenti superest in hoc puncto controversia.

1. Voca

1. Vocationẽ per gratiam prævenientem seu præparantem, fieri Ephes.1. vers. 1. 4. 8 fieri utrimque ex asse probamus.

2. In iustificatione per gratiã inhabitantẽ in nobis Rom.8.vers.1. quando Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, Rom.5.5.&quem habemus à Deo 1.Cor.VI.vers.19.de quo infra plenius.

At objicit nobis Turretinus: qua tandem ratione Principium hoc retinere censendi sunt, qui non patiuntur hunc honorem Christo tribui, ut tota salus nostra in solidum ab ipso pendeat, nisi in partem veniant simul ET OPERUM MERITA ET LIBERI ARBITRII MOLIMINA?

Sed in promptu est responsio, Operum merita justificationis gratiam exquisitè acceptam nec præcedere, nec comitari; NIHIL ENIM (sunt verba Tridentini Concilij, sess. VI. c. 8. à quo unguem latum digredi nobis Catholicis ad unum omnibus grande est piaculum) EORUM, QUÆ JUSTIFICATIONEM PRÆCEDUNT, sive fides sive opera, ipsam justificationis gratiam PROMERETUR. Sequuntur autẽ MERITA Justificatũ, quando homo perficit sanctificationem in timore Dei, II. Cor. VII. vers. 1. Id autem homo consequitur à Deo per suam operationem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit, ut egregiè docet S. Thomas, 1. 2. q. 114. a. 1. in corp.

LIBERI autem ARBITRII MOLIMINA in solidum gratiæ Dei accepta ferimus;

Quamvis enim tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem homo non instar trunci se omnino passivè habeat, sed illam inspirationem, quam abijcere poterat eique resistere, liberè suscipiat, Nullatenus tamen se ad justificationis gratiam sine gratiâ Liberâ suâ voluntate movere potest, ut habet, Trident. sess. 6. c. 5. Unde non est quæstio an in collatione gratiæ excitantis, vel in infusione gratiæ justificantis homò se merè passivè habeat; quia hoc ultrò fatemur & ipsi docemus gratiam excitantem omnem hominis operationem prævenire. & justificationis gratiam in anima hominis sine omni hominis concursu activo produci; tota igitur quæstio est, an quando in facto esse jam à Deo gratia posita est, illius gratiæ susceptio ex parte hominis sit voluntaria id quod nos Catholici affirmamus, post formulam autem concordiæ plerique Protestantes minus conformiter A. Confessioni negant.

Quicquid interim horũ statuatur, utrimque tamẽ in hoc convenimus, NIHIL illã voluntariã susceptionẽ tunc promereri: Meritũ autẽ congrui, quod nonnulli invex-

Scholaſtici invexêre, & ab illis difformiter explicatur in pleriſq; eâdē libertate reiicitur, quâ ab illis eſt introductum Unde jam olim graviſſimus Theologus Thomaswaldenſis lib. de Sacrament. tit. 1. diſtinctionem meriti de condigno & congruo, teſte Franciſco à S. Clara problem. XVIII. ſubriſit; imò ſaniorem Theologum & fideliorem Catholicum & Scripturis Sanctis magis concordem dicit ſe reputare eum, qui negaret ſimpliciter hominem mereri gratiam vel gloriam, & concederet cum limitatione Apoſtolorum & Scripturarum, hominem non mereri regnum cœlorum, niſi ex gratia & voluntate largitoris &c.

Intelligit autem per gratiam & Miſericordiam acceptationem &c. quam Dei acceptationem neceſſariam eſſe ad meritum clarè colligit ex verbis Concil. Trident. ſeſſ. XIV. c. 8. ubi opera noſtra vitæ æternæ meritoria aſſerit, quia à patre acceptantur per Chriſtum. Unde etiam Holcoth 1. ſent. apud Mirand. in Apolog. de libertate credendi de facto ponit TOTAM RATIONEM MERITI IN ACCEPTATIONE. A qua ſententia moderatiores proteſtantes vix diſcrepant. Unde de Anglis ſæpe Laudatus à S. Clara teſtatur quod in commitiis Doctoralibus Cantabrigiæ Anno 16 4. ſolemniter determinatum ſit dari meritum ex pacto divino. Idem eodem fere anno publicè ſuſtinuit Conradus Bergius Profeſſor Bremenſis in theſibus Theolog. Demptâ igitur logomachia in re convenimus quia tam apud nos quam apud Proteſtantes de fide eſt illud Arauſicanum II. can. 18. *debetur merces bonis operibus ſi fiant, ſed gratia quæ non debetur, procedit ut fiant &c.*

In re igitur hactenus cum Proteſtantibus conſentimus, & juſtificationem, quæ ex operibus legis eſt, & non per fidem in ſanguine JESU CHRISTI, Rom. 3. Gal. 2. 16. miſſam facimus, firmiter credentes, & pleno ore profitentes neminem poſſe eſſe iuſtum, NISI CUI MERITA PASSIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI COMMUNICANTUR: id autem fit in iuſtificatione impii, dum eiuſdem Sanctiſſimæ Paſſionis MERITO per Spiritum Sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur. Et tamen cum aliis ita depuduit Turretinus, ut non erubeſcat ſcribere in hac ipſa ſeſſione præcipuum hunc & verè fundamentalem articulum de iuſtificationis gratia ita deformatum fuiſſe & corruptum ut Chriſto & Evangelio nuntium remittere teneatur, qui illum amplecti & retinere ſatagit.

Admit-

Admittimus Justificationem operum, sed non aliam, quàmqualem in re ben multi Protestantes moderatiores urgent, videlicet donum illud, quo Deu auget incrementa frugum justitiæ nostræ II. cor. IX. ℣. 10. Vt iustificatio legis impleatur in nobis, qui non Secundum carnē ambulamus, sed secunudm Spiritum, & Spiritu facta carnis mortificamus, Rom. VIII. ℣. 4. 13. ut homo noster, qui intus est, renovetur de die in diem II. cor. IV. ℣. 16. Scientes, quod à Domino accipiemus retributionem hæreditatis, coloss. III. ℣. 24.

Tanta enim Domini erga homines est bonitas, ut eorum velit ESSE MERITA, quæ sunt IPSIUS DONA &c. utloquitur Spiritus Sanctus in Trident. sess. iam toties laudata, cap. 16.

Paulatim tamen propius ad ὀρθοδοξίαν Ecclesiæ, recentiores DD: Augustanæ Confessionis accedunt ut patet ex novissimo Irenico Menonis Hauckenii in quo ingenuè fatetur: Es ist hie nit die frage/ob ein Mensch die Genad GOttes annehme/glaube/GOtt fürchte ꝛc. und solcher gestalt etwas/ so zu seinem Heyl dienet/ verrichte? sondern ob er solches auß eigenen Kräfften verrichtet? welches wir verneinen. pag. 812.

N. IV.

ECclesia Romana ab Apostolorum tempore in hanc usque horam fuit verè Ecclesia Christi ex hypothesi omnium ferè Protestantium, & non nisi in gradu puritatis vel impuritatis (ut ipsi volunt) variavit; Ergo possunt, imò debent, dum in conscientiâ securi esse volunt, ad illius consortium sese iterum recipere, quotquot ex illâ in suis genitoribus superiori sæculo exsilierunt.

Probatur Antecedens

A. EX CONFESSIONE PROPRIA PROTESTANTIUM

Prima Protestantium hypothesis

Joh. Gerhardus apud filium Joannem Ernestum Gerhardum in Epitom.

Con-

Confeſſ. Cathol. part. 1. cap. 4. theſ. 4. Non dicimus Eccleſiam Romanam penitus defeciſſe, ita ut nullus in Romanæ Eccleſiæ cœtu ſalvari potuerit, vel ſalvatus fuerit; Quemadmodum enim in Eccleſia Iſraëliticâ per corruptum verbi miniſterium geniti fuerunt Deo filij & filiæ, Ezech. XVI. verſ. 20. ita quoque ſub Papatu conſervari potuit, ET VERE CONSERVATA FVIT VERA ECCLESIA.

Idem ex reformatis agnoſcit Crocius in ſuo Anti beato controv. tertia de Eccleſia, ſect. V. Catholicam Eccleſiam perijſſe, orbe toto, NON DICIMUS, ſed dicimus ſervatam eſſe omnibus ſæculis. Et quamvis ſtatim ſubiungat longo tempore totius Eccleſiæ viſibilis Miniſterium publicum, idque maxime tyranni de Romanorum Pontificum corruptum fuiſſe, Eccleſiam tamen in medijs tenebris Papatus TOTO ORBE SALVAM ET INCOLUMEM FUISSE &c.

Recentius adhuc ex reformatis Franciſcus Turretinus exertè fatetur: Romanam Eccleſiam inferimus aliquamdiu poſt Apoſtolorum tempora in doctrinæ integritate perſtitiſſe. Diſp. 1. de neceſſaria ſeceſſ. theſ. XVI. Hinc ita Argumentum.

I Si fuit vera ſub Papatu Eccleſia; Ergo extra Papatum nunquam data fuit vera Eccleſia. Sequela probatur ex hypotheſi Proteſtantium A. C. quarum prima ſic habet tom. 2. diſp. Giſſ. diſp. IX. theſ. 79. 80. Firmiter tenemus axioma: Extra cœtum vocatorum non eſſe quærendos Electos &c. Item: Certum nobis eſt NON NISI IN COETU ECCLESIÆ VISIBILIS, in quo ſonat Evangelium & Sacramenta iuxta Chriſti inſtitutionem diſpenſantur, ESSE ECCLESIAM INVISIBILEM, hoc eſt cœtum Sanctorum & verè credentium.

Secunda Proteſtantium hypotheſis:

Prædicatio Evangelij & uſus Sacramentorum non poſſunt ab Eccleſia ſeparari, ſubintellige, quamdiu Eccleſia manet, Ead. diſp. th. 103.

Atqui Eccleſia Romana verè manſit Eccleſia; Ergo ab illa non fuit ſeparata, imò nec ſeparari potuit prædicatio & uſus Sacramentorum.

II. Ro-

II. Romanæ Ecclesiæ cætus unicus aliquando fuit, in quo omnes sancti & electi toto orbe continerentur, & per verbi prædicationem & Sacramentorum usum salvarentur, Ergo talis semper mansit:

Probatur, quia ille cætus unicus, in quo omnes verè credentes continentur, est Ecclesia vera ædificata super petram, cui inferorum portæ nunquam sunt prævalituræ, Matth. xvi. Est regnum, cuius non est finis Lu. I. vers. 32. 33. Est corpus Christi, ac proinde divelli ab eo nunquam potest, Ephes. 1. vers. 23.

Neque dicas Ecclesiam esse indefectibilem quatenus est invisibilis & ratione prædestinatorum &c.

Nam I. *Invisibilis* non est quærenda vel credenda extra visibilem, ut supra audivimus.

2. Ecclesia ex promissione Christi sub ea ratione est indefectibilis, sub qua noviter à Christo est ædificata. Patet ex verbo: Ædificabo Ecclesiam?

Atqui sub ratione Vocationis novæ per novam Evangelij prædicationem & Sacramentorum novorum usum, & professionis publicæ fidei Ecclesia à Christo ædificata; Ergo sub eadem ratione est indefectibilis.

Confirmatur ex Hottingero, qui in cursu suo Theologico, ubi agit de necessaria Ecclesiæ militantis existentia in terra, Loc. XIII. n. XI. pag mihi 318. exsertè fatetur, perpetuum esse verbi ac Sacramentorum ministerium, ex Eph. IV. vers. 11. 1. Cor. 21. vers. 26. Inde necessariò consequitur: Ergo perpetua est saltem eatenus Ecclesiæ visibilitas; Nisi quis ita delirare ac dicere velit, usum Sacramentorum & verbi præconium invisibiliter fieri posse;

B. Probatur ratione apodicta hypothesi adversariorum subnixa.

Illa Ecclesia subsistit, & quidem visibiliter, in qua nullus error fundamentalis unquam fuit admissus; Talis fuit Ecclesia Romana; Ergo.

Minor probatur ex Protestantium confessione apud Calvinum lib. 4. instit c. 6. §, 16. ubi sic loquitur: præfari volo, me non negare quin magnum Romanæ Ecclesiæ honorem ubique deferant veteres &c. Et quod doctrinæ semel traditæ fuit aliis omnibus tenacior.

Bucanum in Loc. comm. Loc. de Eccles. & alios, fusè relatos apud Reverendissimos DD. Wallenburgios de Vnitate Ecclesiæ lib. II. c. 7. item lib. 5. c. 2.

Maximè verò ex illâ solenni Confessione Crocii, tom. 1 Antibecani Controv. 3. sect. 9. n. 21.

Stante articulo de gratuitâ peccatorum remissione propter solius Christi meritum, stat Ecclesia & certa est salus; huius confessionis vim elidere frustra allaborat eius in Cathedra Marpurgensi successor Curtius in dissertat. de fundamento salutis sect. IV. de num, art. fundam. p. mihi 91. Non, inquit, hæc viri judiciosissimi erat sententia, quasi hic articulus à reliquis avulsus principalibus Christianæ fidei capitibus solus ad salutem sufficeret, sed 1. supposuit alios fundamentales articulos quales sunt imprimis de sacra Trinitate, de persona Christi & utriusque naturæ personali unione &c. 2. Articulus de justificatione sic comparatus est, ut fidei integritatem circa illum saltem in necessarijs nemo servare dici possit, qui non reliquorum etiam fundamentalium articulorum fidem teneat &c. Frustra, inquam, hæc oggeruntur 1. quia etiam illi articuli à Curtio ceu imprimis fundamentales recensiti in Papatu (quo nomine Ecclesiam Dei compellat) inconvulsi cum articulo perstitere. Quis enim negare ausit articulum de Trinitate, persona Christi & unione hypostatica duarum naturarum per ipsos Pontifices Sylvestrum, Cælestinum, Leonem M. omnium maximè contra priscos hæreticos fuisse propugnatos?

2. Quamvis etiam articulus de gratuita peccatorum remissione connexionē habeat cum Deo qui justificat Rom. VIII. vers. 33. cum JESU CHRISTO vero & æterno Dei filio quo æterna redemptio peracta est Heb. IX. vers. 2 cum articulo de libero arbitrio, de peccato, de Ecclesia, de Sacramentis, de sanctificatione & vita æterna; per hoc tamen articulo huic sub Papatu nihil; per reformatos verò multum, derogatum est sicut, ex dictis & infra dicendis abundè benevolo lectori constabit.

Quam firmiter autem hic articulus in Ecclesia Romana steterit patet ex definitionibus Concilii Millevitani, ab Innocentio Papa probati, can. V. VI. VII. VIII. tum ex ipsis Concilii Tridentini verbis, sole meridiano clarius hanc veritatem exprimentibus & supra à nobis prolixè ex sess. VI. can. 1. 2, 3. allatis.

Minor ex hypothesi protestantium sic asseritur: Per fundamentalem errorem intelligimus vel *affirmationem* alicuius falsitatis, quæ primum ac præcipuum aliquod fidei dogma evidenter & necessariò destruit; vel *negationem* alicuius Veritatis, quæ omnibus ita creditu & factu est necessaria, ut absque eius dummodo invincibiliter non ignoretur, exserto assensu, nullus salvari possit. Sicut enim ædi-

ficia

ficia ſtare non poſſunt abſque fundamento, ita religio ſine fundamentalibus ſuis articulis ſubſiſtere nequit.

Talis eſt u. g. error fundamentalis:

Affirmare pluralitatem Deorum.

Quaternitatem perſonarum in divina Eſſentia.

Dualitatem perſonarum in uno Chriſto

Diverſum & ab uno Adamo non deſcendens Genus humanum.

Quæ fuit noviſſima Præadamitarum, & ἀσύςατος cum redemptione unius mediatoris, hæreſis.

vel negare.

1. Exiſtentiam Dei, quæ negatio pugnat cum fundamento totius ſalutis: unde Rabbi Maimonides meritò ſcripſit in initio ſui operis hebraici, fundamentum fundamenti & columna ſapientiæ eſt ut ſciamus, quod ſit ens primum
2. Chriſtum eſſe Deum hominem, ſeu Deum carnem factum.
3. Orbis univerſi, & ſingulorum mortalium redemptorem.
4. Eius gratiam nobis eſſe ſimpliciter neceſſariam ad rectè credendum, piè vivendum, & ad cæleſtem gloriam pertingendum.
5. Hanc gratiam communicari per Sacramenta ab ipſo Domino JESU CHRISTO inſtituta, & quidem in baptiſmo regenerationem, in confirmatione roborationem, in Pænitentia reconciliationem, in Euchariſtia refectionem &c.
6. Chriſtiani hominis obligationem in religoſa Numinis adoratione, in operoſa eiuſdem & proximi dilectione, quæ fit per obſervationem divinorum mandatorum, conſiſtere.
7. Revelationis divinæ in verbo ſcripto vel tradito comprehenſam authoritatem, eſſe ſupremam, integritatem perpetuam, neceſſitatem abſolutam.

Hi tales præcipui ſunt articuli fundamentales, quia fundamentum ſalutis non tantum tangunt, ſed etiam evertunt; quorum ſi vel unum à nobis foveri ſine calumniâ oſtendere poſſint proteſtantes, dabimus fundamentum ſalutis in noſtra Eccleſia eſſe exinanitum.

N. V.

Ex principijs Proteſtantium demonſtrabile eſt non tantum ſub

Papatu, sed ipsum etiam Papatum, seu Papalem Ecclesiam fuisse & etiamnum esse unicum illum cœtum, in quo homines per prędicationē verbi, & usum verorum Sacrmentorū salvantur.

Probatur.

A. Papatus sive Regimen Pontificis Romani, quatenus ab ipso exercetur, & ab eius communioni addictis cœtibus agnoscitur & creditur, fatentibus protestantibus, per integros mille annos cœtus ille fuit in quo tunc temporis omnes verè credentes continebantur, nec erat eo saltē tempore Ecclesia extra Papatum. Omnes enim Pastores & Doctores Papam Ecclesiæ Caput ministratorium agnoscebant. Ipsi Orientales Romanum Pontificem Patriarcharum primum & Concilij œcumenici necessarium Conscriptorem & Directorem habebant, & omne fidei morumque Decretum, quod à Romano Pontifice unà cum synodo latum & promulgatum erat, ceu Oraculum & Spiritus S. placitum suscipiebant.

Ergo ille Pontificis Romani vicariatus seu œcumenicū in totum Ecclesiæ Christi cętum potestatis exercitium tam erat Ecclesię proprium, ut ab eâ separari haud soleret. Ubicunq; enim erat Ecclesia, ibi quoque se exerebat R.P. potestas.

Neque assignari potest vel unicus ex tota illa credentium multitudine qui unquam R. P. aperte impugnaverit œcumenicnm primatū vel potestatem. tanquam tyrannicum vel non necessarium.

Ergo Papatus eo saltem tempore non tantum fovit, sed etiam formaliter constituit Dei Ecclesiam.

B. Si toto illo millenario non obstitit credulitas œcumenicæ potestatis R. Pontificis, quo minus homo cætera fidelis & pius, salvari potuit; Nec hodie gratiæ ac gloriæ adeptionem impedit.

Dices. Eo tempore adhuc *latuit* mysterium iniquitatis, modò detectum est ac *patuit*.

℞. Etiam post detectum hoc, ut criminaris, iniquitatis mysterium, fatentibus protestantibus, poterant in Ecclesia Romana salvari, quotquot in Christum viva fide credebant, modò ipsis excessus huius potestatis displicebant.

Ergo non opus erat separatione. Ergo temere facta, & hucusque continuata fuit. Sufficiebat animo exire, & omnibus excessibus, si qui erant, sese opponere. Si enim, fatente Maresio, adhuc hodie licet protestantibus communionem Spiritualem retinere cum Ecclesia Romana in ijs, in quibus ipsa servat communionem cum Christo, nec penitus ab eius instituto discessit &c.

Cur

Cur non licuisset sub initium infelicis illius schismatis Lutheri, iis qui eius authores non fuerant ac proinde nec bulla Leonis Decimi à communione reiecti fuerant, licet in non nullis, suâ opinione rectius, quàm Ecclesiæ Doctores & Pastores in religionis quibusdam capitibus saperent, in externâ communione perseverare ? Et si illis hoc tunc licebat, quis modo prohibeat ad illius unionem redire ? Si etiam maioribus nostris sufficiebat, Turretino teste disp. 1. de necess. Secess. thes. 15. Secessio negativa in hoc consistens quod licet se ab erroribus, quos somniat, Ecclesiæ Rom. averterint, tamen propterea novum cætum non constituerint, neque altare altari opposuerint, ad quid opus fuit Luthero ejusq; sequacibus Secessione positiva & separatos cætus instituere? Utinam memor fuisset verborum Synodi Constantinopilitanæ can. VI. Eos qui se sanam quidem fidem confiteri præ se ferunt, avulsi autem sunt & abscissi, & adversus canonicos nostros Episcopos CONGREGATIONES FACIUNT hæreticos dicimus & sunt à nobis postea anathematizati. &c.

Dices cum Calixto: Non licet à puriori Ecclesiâ transire ad maximè impuram ℞. Concedo antecedens. Sed unde probatur Ecclesiam Rom. omnium esse impurissimam? Quis præter filios illos degeneres ita spernit Matrem suam ? Cur non ego ita arguam ; Licet, imò consultum est ab eo Cætu, quem præter suos Sectatores, nemo pro Ecclesiâ habet, transire ad cætum, qui etiam infensissimis adversarijs testibus, si non *pura*, saltem *vera* est Ecclesia.

N. VI.

Nullam causam legitimam hucusq; protulerunt protestantes desertæ à prædecessoribus suis, ac deserendæ porrò ab omni homine, pietatis & salutis suæ studioso, Communionis Catholicæ Romanæ.

In ductione patebit huius aphorismi Veritas.

Tria ut plurimum pro palliando suo Schismate, seu separationis ab Ecclesiâ Romanâ factæ excusatione obtendunt protestantes acerbiores.

A. Hæresin in doctrinâ.

B. Idololatriam in cultu.

C. Tyrannidem in regimine.

Nullum horum, absq; splendenti calumnia Ecclesiæ Romanæ imputari posse, primùm ex ipsis adversariorum hypothesibus, tum ex doctrinæ nostræ declarationibus omnibus veritatis & pacis studiosis ad oculum demonstrabimus.

A. In Ecclesiâ Romanâ nulla est hæresis negativa.

Probatur. Nullum articulum fidei qui à Christo & Apostolorum ætate unquam publicè fuit creditus hodie ab Ecclesiâ Romanâ negatur.

Probatur Ex confessione adversariorum, Marci Antonij de Dominjs, Calixti, Horneij, Forbesij & aliorum, quos calumniandi libido non omni sensu veritatis & Pietatis privavit. Ex zelotis Ioannes Crocius apud DD. Wallenburgios, paulò ante citatus: Etsi Romana Ecclesia non errauit DEMENDO, errauit tamen addendo.

Ex ratione ab ipsis adversatijs suppeditatâ. Ille fovet hæresin negativam, qui articulum aliquem non modò verum, sed etiam NECESSARIVM negat;

Atqui Ecclesia Romana nullum articulum creditu necessarium negat;

Ergo &c.

Minor probatur; Quia Maresius, & alij morosi & operosi errorum, ut vocant, Pontificiorum calculatores, nullum tamen articulum fundamentalem hucusq; potuerunt producere, quem Ecclesia Romana NEGARET; Nisi fortè novum illum, non calamo sed patibulo refutandum articulum Synogagæ Calvinisticæ, quod Papa sit Antichristus, quem post tot nostrorum refutationes velle tueri non minoris est vesaniæ, quam post Christum incarnatum cum recutitis alium à Christo exspectare Messiam. Et tamen ita per satanam excæcatus est Elymas iste Groningensis, ut instar rabiosi canis hoc Scommate identidem altissimi Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi in terris Vicarium allatrare non desinat, ausitque coram Christiano orbe impuro suo calamo in hæc

verba

verba diffluere: Nolle Antichristũ in Papa videre eiusdem est cæcitatis ac stuporis, ac nolle in Iesu B. Mariæ Virginis filio Christum & Liberatorem patribus promissum agnoscere. Sed debebit Ludibrium omnibus eruditis, quam diu tanta confidentia blasphemare pertexerit, & non ante refutatum iverit quæ ex nostris Bellarminus, Tannerus, Forerus, & centum alij in huius nostræ Negationis firmitatem iam dudum & toties protulerunt. Probet Apostasiam à fide sub auspiciis Papæ factam, & vigentes doctrinas dæmoniorum. Non sufficit dicere, verè Pontifex est κατ' ἐξοχὴν Homo peccati, aliàs potiori mihi jure licebit Maresium istum Energumenũ olim à R. P. Hasur tã insigniter exorcisatum, hodie deteriori dæmone obsessum scribere. Verè Maresius hodiè inter Caluinicolas κατ' ἐξοχὴν Calumniator est, imò publicus falsarius, ut illi in novissimo serenissimi Principis Ernesti scripto gallico contra Drelincourtium ex relatione R. P. d'Astro, Minoritani, pag. mihi 292. objicitur.

Quod verò addit, Pontificem in templo Dei verè sedere, id est, in illius Ecclesiâ, Si inde probat Papam esse Antichristum, hoc ipso, ipsum benedictum Dei Filium in hanc belluam trans formabit, quem in templo seu Ecclesiâ sedere & ipsum Deitatis templum esse, nemo Christianus negaverit.

Mentitur verò more suo strenuè, quando Pontificem ea omnia sibi vendicare dictitat, quæ ad Ecclesiam pertinere S. Literæ docent, & nos Catholici pertendimus. Multa sunt, quæ toti Ecclesiæ competunt, quæ sibi Papa nunquam arrogat. Vnum atq; alterum hîc subijcio. Ecclesiæ congruit iudicium super dubio Pontifice; hanc sibi nullus unquam arrogavit Pontifex Seorsim: Plures sibi non competere ingenuè agnoverunt, ut patet ex actis Constantiensis & Basiliensis Concilij. Ecclesiam cum suo Capite quid definientem infallibilem esse, sensus est totius Ecclesiæ; tale infallibilitatem, sub pari gradu certitudinis, nunquam sibi competere ex cathedra hucusq; definivit. Permittit suos suo hac in re sensu abundare. Vocetur authoritas Papæ S. Sedis Apostolicæ, quid tum? Etiam Moguntina Sedes Sancta dici meretur; non tamen propterea parem cum totâ Ecclesiâ Authoritatem ambit. Patriarchæ Orientales iam olim sedium nomine non fuêre contenti, sed authoritatem Ecclesiarum suarum elogio throni insigniebant, an propterea totius Ecclesiæ jura sibi arrogabant? Ita judicat Spiritus Puritanus Maresij, omnis monarchiæ hostis, qui non ita pridem in tractat. de Canon. Ultrajectensibus Episcopis Angliæ insultabat, quando illos de

los de ponte proſtratos ſub diſturbio Cromvvelij Puritanorum patroni & omnium regiſcidarum patroni, ſperabat. Hodie vertit vela, & in prima diſp. de Syncretiſm. theſ. LXVI. Lachrymis Crocodilinis deplorat exitum diſſidii de regimine Eccleſiaſticò in magnâ Britannia, dum presbyterani, quibuſcum facit indubiè Mareſius, Hierarchicos vehementius impugnant, ac per ſuum ſolenne Covenant, in horum perniciem conjurant, ex qua lucta, ut ex ea quam Vulcano cum Minervâ interceſſiſſe fabulantur poëtæ, natus ſit Ericthonius Independentiſſmi qui utroſque degluttit, & ſub ſpecioſo prætextu Libertatis, licentiæ ianuam omnibus erroribus aperuit. Verè hic veritatem loquitur Mareſius, & ſui Ericthonii Gebennenſis fructus non in ſolâ Britannia, ſed in utraque noſtra Germania, Gallia, & quouſque hæc peſtis porrò proceſſit, oſtendit. Si qui ex noſtris in titulis Pontifici cōcedendis excellerint, nos præſtare nec volumus, nec tenemur. Scimus Pontificis dignitatem. non probamus ex inde curialium multorum vanitatem. Pontifices ipſimet ſe ad unum omnes ſervos ſervorum Chriſti in ſuis reſcriptis nominant. Quod verò ſe Dominos Dominorum eſſe contendant, in hoc non peccant. Sunt enim; quamvis ex Chriſti Inſtitutione & & Petri ad monitione, n̄on admodū regum terræ Clero ſuo dominari debeant. Si exercitium illius poteſtatis non ſemper ad præſtitutam illam normam ab illis exigatur, perſonæ vitium eſt neque tamen ideò Ordini ſeu ſtatui convitium inferri debet. Piget reliqua perſequi, quæ Rhapſodus iſte Groningenſis pro inſulſo iſthoc pſeudotheologemate corradit. Cautior illo fuit Turretinus Genevenſis, qui ab hac inſana & in Galliis non niſi patibulariâ ſuſpenſione expiandâ criminatione, prudenter abſtinuit.

Faxit Deus, ut Proteſtantes Auguſtani, quorum unionem cum Eccleſiâ Catholicâ, excluſis iſtis ſacrilegis divini Teſtamenti expilatoribus Sacramentariis, à Deo expetimus, eam deinceps ſuam facere deſinant. Maximè poſtquam ex ipſis reformatis plures hujus abſonæ fabulæ jam dudum puduerit, puta Hugonē Grotium. H. Hammondum Auglum, Conradum Bergium &c.

Hoc Pontificis Romani debent meritis, quibus à tot ſæculis obſtricta eſt Germania ob fidei Chriſtianæ primò receptum lumen, & Imperialis diadematis ad ſe delati columen. Hoc debent Auguſtanæ Confeſſioni, quæ ab hac criminatione ſtudioſè abſtinuit. Hoc debent Cæſari, & alijs Imperij Principibus ac Statibus, Romanum Pontificem in ſacris pro parente ſummo agnoſcentibus. quibus toties graviſſima injuria infligitur, quoties Pontifex, illorum in divinis parens tam atroci dicterio Antichriſti perſtringitur. Timendum valdè, ne Deus de cælo hanc ſervo ſuo illatam iniuriam ſit vindicaturus, ſi Principes noſtri Catholici ad eam porrò connivere perrexerint. In

In florentissimo Galliæ regno multa reformatis licent, at non licet ulli eorum Antichristi notam adeo fœdam Romano Pontifici inurere, ut contra Crocium egregiè ostendit celeberrimus Cornæus in suis animadversionibus in Antibecanũ. Ego in gratiã lectoris ex Reverendissimi Henrici Spondani Annal. Ecclesiast. tom. III. ad annum Christi 1603. n. 5. non meis sed prælaudati Annalistæ verbis recenseo: Quod Hugonottæ suæ confessioni novum articulum inserverunt, Romanum Pontificem esse ipsissimũ Antichristum; tam ipsi profecto Christum norvunt quàm Antichristum, & utrimque deflendi potius quàm ridendi. Cæterùm quod & alio Rupellensi conventiculo Anno 1607. etiam illi Saperdæ eandem crambem recoquerent, irritatus eorum effronti ac repetita audacia Henricus Rex Christianissimus, severissimè prohibuit, nequid eiusmodi suis scriptis impurissimi homines garrire auderent.

Sed demus aliquid hac in parte protestantibus, & permittamus hunc articulum, Papa est Antichristus, esse verum. An propterea est creditu necessarius? Nonne ipsorummet judicio, ille tantum articulus est necessarius, quem ex obvio scripturæ sensu quilibet fidelis & illiteratus sine difficultate ex S. lietris eruere potest? Hoc semel in antecessum supposito, nemo statuere poterit hunc Protestanticæ fidei articulum creditu esse necessarium; Nam

1. Multi, quos ipsi Protestantes pro Sanctis & piis habent, ante Lutherum Romano Pontifici in suo formali cum eius appendicibus, ut loquitur thes. VII. disp. 2. Maresius, communicârunt & non pro Antichristo, sed Christi supremo & æcumenico in his terris vicario agnoverunt. Talis fuit Augustinus, Benedictus, Bernhardus, Dominicus, Franciscus, viri literis magis è cælo quàm humanitus exculti, quibus nec scientia deerat hunc articulum ex scripturis eruendi, nec Conscientia illum intrepidè coram toto mundo profitendi.

2. Inter ipsos Protestantes non pauci reperiuntur, qui hunc fidei articulum nec verum nec necessarium agnoscunt. Talis meâ ætate fuit in Germaniâ ex Reformatis Conradus Bergius Professor Bremensis in paucis doctus & moderatus. in Anglia H. Hammond. professor Oxoniensis quem Maresius hoc nomine flagellat eique his verbis insultat: Eò furoris hic Hammond. processit, ut causam Papæ ex professo propugnet, eumque ESSE ANTICHRISTUM NEGET ipso Hammond. recensente & hanc dicam falsè irridente in comment. de Confirmatione per impositionem manuum Episcopi cap: I. sect. II. §. pag. mihi 8. Confirmat hanc nostram assertionem serenissimi Angliæ

regis Jacobi ingenuâ confeſſio quæ habetur in ejus apologia pro juramento fidelitatis in præfat. monitoria pag. mihi 67. ubi ſic infit: Sane quod ad definitionem Antichriſti, nolo REM TAM OBSCVRAM ET INVOLVTAM tanquam omnibus Chriſtianis AD CREDENDVM NECESSARIAM urgere &c. Paulo poſt &c. IN DISPUTATIONE TANTA, ſcrutari nos ſcripturas oportet, ut veritatem Eruamus &c. Ergo in ſententia regis Angliæ non patet ex obvio ſcripturæ ſenſu Papam eſſe Antichriſtum ac proinde non eſt articulus fidei neceſſarius. In Scotiâ Forbeſius. Ex Auguſtanis ſine dubio his annmerari debent authores formulæ interim, Et noſtrâ ætate Calixtus & Hornæus, qui eo ipſo quod Romanam Eccleſiam in ſalutis fundamentalibus perſtitiſſe fatentur, hoc ipſo Antichriſtianiſmum Pontificis Romani exploſerunt. Eſto etiam hinc inde aliter ab ipſis ſcriptum reperiatur, forte juvenilibus annis & quando ex Lectione SS. PP. nondum ita defæcati erant cerebri. Exertè verò id agnoſcit ex Auguſtanis recentiſſimè Lubeccenſis hierarcha Lutheranus & veteranus theologus Meno Hanckenius in Irenico ſuo p. 825. his verbis: Ob der Bapſt der groſſe Anti-Chriſt ſey iſt eben kein zu der Seeligkeit nötiger Lehr-Punct/ wann wir nur unſern lieben Herren Chriſtum und deſſen / von ihm in ſeinem wort vorgeſchriebene Religions puncta behalten / ſo mag es umb den Pabſt und ſein Reich beſchaffen ſein wie es wolle / wie denn viel Tauſend unter uns ſeynd / die vom Pabſt und groſſen Anti-Chriſt nichts zu ſagen wiſſen / aber doch Gottes liebe kinder ſein können.

3. Adde, nec in primis illis & æcumenicis ſymbolis, nec in Auguſtanâ Confeſſione huius articuli vel minimam ingeri mentionem; Ergo nec certus, nec ad ſalutem eſt neceſſarius.

4. Fundamenta ſcripturæ, quibus hic articulus ſuperſtruitur, dubia ſunt, vel admodum obſcura: Dubia ex ſententiâ Proteſtantium ipſorummet. Apocalypſis αὐθεντία à Luthero fuit negata, à Calvino per negationem Apoſtolici authoris multum extenuata; Quî igitur fieri poteſt, ut ex dubio Scripturæ Libro tam certus eruatur fidei articulus?

B. In Eccleſiâ Romana nulla eſt hæreſis per additionem quicquid ex reformatis oggannia t Mareſius, Crocius & Turretinus &c. Ex Auguſtanis Titius in oſtenſione ſummariâ, quod Pontificij ſua dogmata ſibi peculiaria non poſſint unanimi ſcriptorum Eccleſiaſticorum è quinque prioribus

oribus sæculis superstitum consensu probare; quod si probatum dederit, fateamur oportet, additione depravatam esse doctrinæ veritatem.

Audiamus ex ordine Actoris Maresij tum aliorum argumenta palmaria, quibus Romanam Eccsiam *additione* in fundamento errasse demonstrare conatur.

I. Ecclesia Romana addendo erravit, articulos affirmativos fidei multiplicando pro libitu, & paleam ac stipulam, quam DD. Scholastici fundamento inædificaverant, pro doctrinis fundamentalibus sub anathematis pœnâ suscipiendis, conscientiis obtrudendo.

℞: Hæc prolixè dicuntur, & nullo apice probantur. Non pro Libitu, sed urgenti ex causa fidei veritates, quæ ante in principijs suis generalibus latuerant, exortis hæreticorum contradictionibus, eruuntur, vel potius formaliter revelata & per traditiones contestata proponuntur. Sic ante Nicænum Concilium consubstantialitas filii cum Patre non ita expertè ab omnibus & singulis credebatur, ast ubi contra Arrium à SS. illis Patribus in illâ generali synodo definita est, ceu fidei articulus ab omnibus orthodoxis est habitus. Sic post Consilium Ephesinum unitas personæ à Nestorio impugnata, à Patribus verò propugnata in fidei articulum ab omnibus & singulis credendum abiit. Sic post Chalcedonense Dualitatis naturæ in Christo etiam post unionem hyppostaticam, persistentia. Dualitas voluntatum contra Monothelitas.

Sicut ergo illis sæculis Ecclesia res ante à nonnullis etiam Catholicis in dubium vocatas definire & tanquam de fide certas & ab omnibus tenendas declarare potuit; Ita etiam sequentibus temporibus hæc facultas à Christo semel data in eâdem Ecclesiâ permansit.

Sic propter Pelagii hæresin definivit originalis labis reatum in omnes homines ex Adamo propagatum, & gratiæ à Christo partæ necessitatem in Concilio Africano seu Milevitano.

Sic contra Apostolicos sic dictos purgatorii pœnas, suffragiorum pro defunctis pietatem, & S. Cælitum preces definivit in Claro montano.

 Sic

Sic exortâ Berengarii hæresi definita est vera ac realis præsentia corporis Christi in Eucharistiâ, &c. in Ecclesiâ decantari cœpit ex concilio Lateranensi magno:

Dogma datur Christianis
Quod in carnem transit panis,
Et vinum in sanguinem.

QUamvis enim jam Apostolorum ætate in Ecclesia Christi constanter credita fuerit transsubstantiatio, si rem ipsam attendamus, tamē post turbas Berengarii demum per vocabulum Transsubstantiationis singulari emphasi substantialis panis ac vini in Christi corpus & sanguinem immutatio expressa fuit; ut fusè probat Bellarminus lib. III. de Eucharistiâ c. xx.

Nec huic veritati refragantur Patres, quandò panem consecratum nihilominus panem frequenter appellant &c. vel enim signanter addunt cum Justino apolog. II. se non communem panem intelligere, vel juxta phrasin Scripturæ receptissimam, vocabulo panis, cibum intelligunt. aut denique nomine hoc priorem statum huius cibi Eucharistici indigitant.

Quando verò Irenæus in Eucharistiâ rem terrenam & cælestem adunari affirmat, per hoc non substantiæ subsistentiam, sed sensibilium specierum existentiam designat; sicut enim non sequitur hoc parvum continuum potabile aquæ, quod in vas ingens vini infunditur, unitur cum magno illo continuo vini; Ergo non transit in substantiam vini; Ita non potest inferri, Panis unitur cum corpore Christi, ergo permanet: At instabis cum Titio, Patres unionem panis cum corpore Christi comparant cum unione humanæ naturæ cum Verbo; Ergo sicut vi unionis hypostaticæ natura humana non interit, sic nec per unionem panis in Eucharistiâ, substantia illius concidit; Evidens namque est disparitatis ratio;

1. Quia etiam post unionem personalem Christus opus habuit humanæ naturæ persistentiâ, ut in illâ pateretur ac moreretur: post unionem autem Sacramentalem, quando Verbum Elemento accessit, indeque Sacramentum confecit, non est opus substantiâ panis; non enim est cibus ventris, sed mentis.

2. Per

22. Per unionem hypostaticam amittit humana natura subsistentiam propriam, & terminatur à subsistentiâ Verbi. Quid ni igitur etiam in unione Sacramentali panis & vini cum corpore & sanguine Christi terrena substantia in nobiliorem transeat, puta corporis & sanguinis Christi?

Licet etiam Ambrosius alicubi dicat, sic panem converti corpus, & vinum in sanguinem, VT SINT QVÆ ERANT, per hoc sibi ipsi contradixisse haud censendus est. Sunt quæ erant, sed non in illo substantiæ statu, quo erant. Sicut aqua in nuptiis erat, sed non amplius aqua, sed vinum factum. Rem enim esse mutatã, & non esse mutatã, seu, quod idẽ est esse simpliciter quod erat, sunt manifestæ contradictiones. Quando Theodoretus ait: Signa mystica non recedere à sua natura, Dialog. 2. per naturam illorum, esse, qualecunque illud fuerit, sive substantiale, sive accidentale, intelligit. Gelasius autem sive Romanus sive Cæsariensis Episcopus fuerit, quando substantiam panis *desinere* negat, & simul eandem *mutari* Spiritu Sancto perficiente in divinam substantiam, quam desinere negat, aliud nihil, quàm esse illud symbolicum intellexit, quo sane nomine non absque fundamento ornantur. Primò enim talia apparent, secundò eandem vim ac virtutem, quam prius natura habebant, mira Dei operatione illarum existentiam conservante retinent.

Quod verò inde transsubstantiationem invertere conatur Titius, quia in primitiva Dei Ecclesia, teste Hesychio lib. 11. in Leviticum, fragmenta, quæ superant, & sumi à nemine poterant, in ignem fuerint projecta, In hoc certè Ludibrium omnibus Doctis debet. Grande enim esse piaculum substantiam corporis & sanguinis Christi in ignem proijcere, si ex contemptu fiat, nullus dubito. Si ex religiosa pietate, ne fortè corpus Christi sub speciebus latens minus decenter asservetur, eique iniuria si non effectivè saltem affectivè ab infidelibus inferatur, totus dubito; Quicquid ergo homines hac in parte agunt intentio iudicat omnes.

Quod si qui sint, qui ex eo transsubstantionem exhorreant, quia ipsis minus rectè explicata fuit, quasi sit nova ipsius corporis Christi substantialis productio aut mutatio aut localis translatio: accipiant meliorem huius mysterii declarationem. Transsubstantiatio nihil aliud nobis supponit, quàm existentiam corporis Christi quæ fit per efficaciam consecrationis, quando desinit tota substantia panis, & corpus Christi quod in cælo est, sine ullo motu locali, aut mutatione sui esse intrinseci, esse incipit sub speciebus panis, non per nudam coexistentiam,

 neque

neque etiam per talem inhærentiam qualis est accidentium naturalium in substantia, sed per quandam unionem ; quæ nobis sanè est inexplicabilis. unde Cathesis Romana part. 2. c. 4. ex SS. Patribus Christi fideles meritò admonet, ne curiosius inquirant, quo pacto ea mutatio fieri possit, quia enim in naturalibus mutationibus illius aliquod exemplum non habemus, potius quomodo non fiat, quàm qualiter fiat percipere possumus.

II. Ecclesia Romana errat in fundamento, instat Maresius, ea dogmata proponendo, quæ cum articulis fundamentalibus religionis Christianæ sunt incompatibilia eorumque per directam & immediatam consequentiam eversiva.

℞. Gravis dica: ast omni pluma levior probatio. Unum proferat dogma in Ecclesia Romana receptum, & simul ullius fundamentalis articuli Christiani eversivum. Si ullus, hic certè illi erit, quo credimus Pontificem esse totius Ecclesiæ in terris militantis verticem in fidei controversiis supremum, & saltem in & cum generali Synodo infallibilem judicem. Quem verò, articulum hoc dogma per directam consequentiam evertit?

Dicis, articulum, quo credimus JESUM CHRISTUM esse Caput super omnem Ecclesiam, & judicem vivorum ac mortuorum.

Sed contra. Ergo vel omnis, qui præter Christum aliquod caput subordinatum credit, vel ille saltem, qui sub Christo vrbis Episcopum orbis Christiani verticem agnoscit, Christum Ecclesiæ caput esse negat.

Si prius dicas, Paulo dicam scribis, qui Virum mulieris caput esse scribit.

Si posterius, omnes illos SS. Patres abnegati capitis supremi seu Christi reos agis, qui Petrum sub Christo Apostolorum Caput fuisse crediderunt, puta sub- subordinatum, non æquale, ministratoriorum non Architectonicum.

Verè enim (quicquid oggannias) scripsit Eminentissimus Cardinalis Richelius, adhuc Episcopus Lussonensis contra Calvinianæ extra Parisios Synagogæ ministros, c. 3. Catholicos non aliam salutis regulam admittere, quàm scripturam. Nec aliud caput Ecclesiæ vniversalis, quàm JESUM CHRISTUM nec aliud peccatorum purgatorium, quàm

quàm ipsius sanguinem nec aliud sacrificium propitiatoriũ, quàm Passionem eius nec aliud meritum coram Deo, quàm eius obedientiam.

Scriptura enim est unica, adæquata & perfecta salutis regula, sensu superius explicato. Christus est unicũ totius Ecclesiæ Caput supremum per gratiæ influxum.

Purgatorium omnium peccatorum fundatur in Sangvine Iesu Christi, quo mundamur in hac vitâ ab omni macula peccatorũ dummodo pænitentia omnimode sit præfecta: in alterâ à reatu pænæ temporariæ. Hoc enim ipsum est beneficium, quod nobis indulget Pater misericordiarum, sangvinem justi clamantis veniam delictis nostris.

Sacrificium etiam à Christo in arâ crucis pro nobis oblatum æternam redemptionem adinuenit; cuius pretium incruentum Missæ Sacrificium applicat.

Omne etiam meritum nostrorum operum ex meritis Christi, ceu riuulus ex fonte, scaturit, & Deo placet, quia sumus cum Christo unum, cuius obedientia Deum placauit, cuius gratia nos sanctificavit.

Quid hic tricatur Maresius, sibiq; imaginatur hoc cum Catholicâ nostrâ confessione non posse conciliari? non mox euidens est pugna, & nulla subordinatio, quando pugnacibus ingeniis ita videtur.

C. Ecclesiæ Romanæ doctrina non tantùm bonis moribus haut adversatur, sed etiam stimulus est ad omnem pietatis exercitationem.

Probatur prima pars. per remotionem eorum, quæ se congerere posse jactat Maresius ex libello cuiusdam Doctoris Sorbonici de Theologiâ morali Iesuitarum; sed benè facit Maresius, hac enim præteritione sibi suæq; sectæ valde multùm consulnit; ansam enim nobis sic eripuit ex reformatorum particularium Doctorumq; Zvvinglij, Calvini, Bezæ, Piscatoris &c. Scriptis ea congerere, quæ illius causam omnino desperatam reddidissent:

Catholicæ Religioni tamen hac præteritione nihil emolumenti accrevit;

Pona-

Ponamus enim vera esse, quæ author Literarum Provincialium ex officinâ hæreticorum egressus corrasit, & quæ P. Valerianus Magnus in suâ apologiâ & aliusquidam tenebrio in suo scandalo Ecclesiæ repetiit, quæ deniq; post hos omnes novissime Ioannes Sinnichius Lovaniensis Professor in Saule Exrege maiori soliditate ac modestia producit? quid inde contra communem Ecclesiæ doctrinam efficiet Maresius?

An Pontifex vel Concilium has Moralistarum recentiorum, non tantum ex societate Iesu, sed ex omnibus ferè ordinibus, & ipsis etiam Clericis sæculari-ribus, opiniones unquam vel usquam ceu catholica fide tenendas proposuit?

Dices: Imò verò probavit; quia Litteras provinciales improbauit, P. Valerianum incarcerauit.

Resp. Negatur consequentia: Sæpè judex improbat in actione modum procedendi sequiorem, & in authorem propterea animadvertit, etiamsi causæ principalis merita haud approbet. Zelus sine scientiâ Deo non magis probatur, quàm acediæ uitium.

Si modestiam Louaniensis Doctoris, ille Sorbonicus & Minoritanus Theologus imitati fuissent, fortè jam dudum à sede Apostolicâ relaxationis patronis repagulum objectum fuisset. Sufficit interim novitias sententias morales à nostræ Communionis Theologis plurimis perstringi, nullius autem Synodi etiam Diœcesanæ calculo unquam fuisse probatas; A non paucis verò jam de facto improbatas.

Quod verò Maresius addit in Ecclesiâ Romanâ latam sceleribus portam aperiri

A. Coacto cælibatu Clericorum, unde infinitæ oriantur sordes, ita ut Platinâ teste, Pius II. Pontifex R. propriâ suâ experientiâ edoctus dixerit: Sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, maiori restituendas videri &c.

In hoc præprimis elenchum committit Accidentis &c. non enim suâ naturâ Cælibatus sordes ullas gignit, sed sordidorum aliquando mortalium genius qui cælibem uitam scelebrius sorditant. Secundò fallit Maresius, dum coactum cælibatum nostris Clericis affingit.

Nemo cogitur, qui hoc quod Deo sanctè promisit, seruare adstringitur.

Estne matrimonium reformatorum ideò coactum, quia, postquam contractum

tractum & consummatum est, seruari debet? Nemo dixerit. Cur igitur Cælibatus liberè susceptus, coactus illi dicitur? Tertio, more suo crimen falsi committit, quando ait, Platinam Scribere Pium propriâ sua experientia edoctum dixisse &c. Hoc non scripsit Platina, sed ex Molinæo exscripsit Maresius rhapsodus & falsarius. •

b. Præposterâ distinctione peccatorum in mortalia & venialia culpis hominum extenuandis destinata; hic certè nodum in scripo quærens seturpiter innodat turpi ignorantiæ indicio; Quis enim creddisset hunc librorum helluonem, ut aput suos audire gestit, sic esse in suorum gregalium scriptis hospitem, ut non legerit, quæ ex reformatis pro hac ipsa distinctione Robertus Baronus scotus in disp. de peccato veniali, eiusq; à mortali diuersitate sect. 11. n. 11. 12. non minus doctè quàm verè scripserit; in qua disputatione profundamento huius distinctionis ponit fædus gratiæ, quod Deus cum homine in lege euangelica pepigit, quo supposito verè dici possit *naturâ veniale*, quamvis attento legis rigore mortale dici posset, quæ explicatiò sicut à communi aliorum reformatorum tramite multum deflectit, sic à nostra Catholica veritate parum discedit. Nec hæc particularis unius Baroni scoti, sed communis fuit Theologorum magnæ Britanniæ ad Synodum Dortrechtanam delegatorum sententia, qui eam in suo deff. Perseverantia judicio part. 2. in explic. th. 2. ita protulerunt: Ex legis quidem rigore quodvis vel leuissimum peccatum est mortiferum, & excludit peccatorem à favore Dei, & regno cœlorum. Sed cum filiis cum Christo jam adoptatis & iustificatis Deus nunquam agit stricto jure. Sunt quidem peccata aliqua, ob quæ Deus hisce filiis suis iram atq; indignationem denunciat, imò è cælis exclusionem, mortemq; æternam interminatur. Qualia ea sint, videre est 1. Cor. VI. vers. 10. Gal. V. vers. 21. Col. III. vers. 6. Sunt autem & alia quædam pecca- OB QVÆ DEVS MISERICORS NON SOLET FILIOS SUOS VEL AD TEMPUS LUMINE VULTUS SUI PRIVARE, NON METUM MORTIS ILLIS IMCUTERE. Huiusmodi sunt rebelles concupiscentiæ motus, de quibus conqueritur Apostolus Rom. VII. Item defectus & næui, qui etiam optimis renatorum operibus adhærescunt; denique quotidiana humanæ infirmitatis delicta, quæ committuntur absque certo aliquo proposito committendi, ET QVOTIDIANA REMISSIONIS

F POS-

POSTULATIONE REMITTUNTUR, de hisce. Iac. III. vers. 2
1. Ioh. 1. vers. 8.

In qua sententia longè maior comprehenditur venialis peccati extenuatio quam in sententiâ DD. Catholicorum, qui ad unum omnes docent etiam minimum peccatum veniale AD TEMPVS saltem PRIVARE HOMINEM LUMINE VULTVS DIVINI, si ante obitum non expiatum fuerit. Et quid est quoditiana remissionis postulatio, quam orationis Dominicæ, DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA &c. prolatio, cui vim remittendi huiuscemodi peccata illi Theologi nobiscum abscribunt; Hanc itaq; trabem ex sociorum suorum oculis amarus ille Maresius tollat, & tunc de eruendis festucis Cathol. sit sollicitus.

Fallitur autem, imò fallere conatur Maresius, quando hanc distinctionem culpis hominum extenuandis destinatam asserit; Non hic finis, bone vir, non hæc distinctionis huius meta; Eius enim authores pleriq; has ipsas noxas in futuro sæculo flammis piacularibus exuri affirmant. Quod verò in hac vitâ per aquæ Lustralis aspersionem, idque ex opere operato, eas elui posse Toletus lib. 3. Instit. Sac. c. 5. per tunsionem pectoris, confessionem generalem, orationem Dominicam, teste Sà v. peccatum, cum hoc salis grano, quod ipse Sà apposuit: *si rectè fiant, hoc est, cum devotione & reverentiâ*, intelligendum est.

Quod verò per professionem religiosam, & vel maximè per susceptionem habitus seu chordæ S. Francisci deleantur, sano sensu accipi debet, nempe si ex amoris divini intensioris motivo fiat; qui amor sine dubio operit multitudinem peccatorum. Quod verò per satisfactiones & opera pænalia ab homine jam Deo reconciliato peracta expientur, mens est universæ Ecclesiæ, quam Maresius ex Scripturis refutare, non ita probrosè allatrare debebat. Augustanis verò Protestantibus, quorum aggregationem exoptamus & speramus, discutiendum relinquimus, utra distinctio sit tolerabilior; nostrane, quæ peccatum in mortale & veniale distinguit; an Calvinistarum, qui reproborum lapsus omnes reputant mortales, & in effectu irremissibiles: Electorum contra excessus etiam gravissimos ita veniales, ut S. Spiritum excutere nequeant.

Pergit in suis criminationibus Maresius, & confessione auriculari Romanæ Ecclesiæ doctrinam publicam bonis moribus adversari probare conatur. Tota verò probatio non nisi à criminatione proficiscitur. Con-

fessio

fessio auricularis Schola est occulta scelerum. Vnde hoc evincitur? Ex Casuistarum libris. Qui verò illi Casuistæ? Nullus hanc dicam Confessioni Sacramentali scripsit. Si qui inter illos sordes peccatorum fusius exposuerint, & conscientiæ frenū laxaverint, plus jam satis à nostrismet Montaltio, Valeriano, Sinnichio, alijsque vapulârunt. Schola verò scelerum non occulta sed omnibus aperta est vestrum dogma reprobationis absolutæ ex quo prodeunt indies vel

Epicurei de grege porci,

Vel desperati desperantesque mortales, quipus ipse Calvinus, teste Bolsecco, prælusit, quando inter diras plasphemias impiam animam exhalavit.

Cumulum augere debuit protrita illa Calumina, qua nobis post tot declarationes & demonstrationes iterum à Maresio impingitur nefandum dogma, de fide hæreticis non servanda. Nisi depuduisset hic homo, à tam palpabili mendacio sibi temperasset. Constat orbi, quàm sanctè fidem datam etiam paganis Catholici hucusque servaverint. Nec latet Maresium, quoties congreges illius non modò Catholicis, sed etiam contribulibus suis superioribus & æqualibus nec non inferioribus fidem in Hollandiâ, Scotia, Hibernia, & alibi passim fregerint.

Memini, quæ ex ore magni cuiusdam olim ex vestris, non ita pridem audivi: Calvinistæ strenuè accusant Catholicos, quod doceant hæreticis fidem haud esse servandam, *magis verè strenuè ipsi hoc opere exercent*, & Catholicis fidem etiam juratam frangunt. Clamat sanguis Caroli regis Magnæ Britanniæ, quem perfidia Puritana interemit. Clamat Sabaudia à perduellibus illis Waldensibus Calvinicolis turbata &c. Plura alia Calvinianæ perfidiæ specimina ex Boëmiâ, Transsylvaniâ, Germaniâ addere potero, ubi operæ pretium esse videro.

E contra certus sum, quod ne unicum quidem fractæ à Catholicis fidei documentum solidum hucusque adducere potuerunt adversarii nostri. Allegarunt combustionem Hussi & Pragensis Hieronymi, sed hos hæreticornm choragos Ecclesia nullo salvo conductu dignata fuerat. Si Cæsar hoc fecit, nec ipse fractæ fidei reus agi potest, ex quo nebulones illi fuga sua jus omne protectionis amiserint.

Cardinalis Juliani in Ungariâ factum post plures egregiè ab hac fædâ perfidiæ

nota vidicatum dedit paulò ante Laudatus ille celebertimus Theologus Lovaniensis, Joannes Sinnichius cujus dissertationem tanquam præsenti Ecclesiæ statui oppidò utilem libet hic totidem verbis inserere:

Vt obiectionem planius expediamus, exhibemimus hic integrum Sermonem, quem Julianus ille Legatus Pontificius habuit ad Regem Vladislaum eiusque Proceres, quo eos à fœdere cum Turcis icto revocaret, atque ad resumendū bellum tantisper interruptum instigaret, qui sic sonat ad Verbum: Siquis vestrum fortasse miretur, quòd de rescindenda pace, ac violanda fide sim verba facturus, is primū intelligat, me nihil aliud hodie quàm de servando fœdere vobiscum acturum & pari vobiscū pænitentia corripi. Pænitentia dixi, nō dolore, quando hęc quę me invito facta sunt, & præter opinionē vestrā acciderant, veluti è specula cuncta prospexi: cogor pro legationis officio, & Christanę professionis coniunctione juxta atque vos animo fluctuare: & eò vel maximè quòd de communi honoris dignitatisque jactura hodierna die agitur, quam nisi communi consilio & solita virtute resarcire enitamur, ò quàm verendum est, ne præ nimia infamia & vobis è Pannonia egredi , & mihi Romam redire non liceat, ubi gravissima censura quæque judicantur! In quas miserias præceps consilium nos planè conjecerit, considerate. Pacem cum Turca fecimus *infideli*, ut sanctam fidelium fidem violaremus, & sacro sanctum cum summo Pontifice socijsque Principibus initum ante fœdus rescinderemus. Et cuius, cuius, inquam, utilitatis gratiâ? Nempè ut Mysiam diu populatam recuperaremus. Exigua profectò & calamitosa est ista utilitas, quę ad breve tempus intercipi potest: & cętera commoda, quæ perpetua fuerant, longè majora, amovet & repellit. Quid enim dementius & magis inconsultum dici potest, quàm in deliberando privati tantùm commodi, & non publici, item neque honesti & Sancti habere rationem? Quid Turcarum perfidiæ præstare debeatis, non id quæritur hodie, Proceres, sed à Juliano Pontificis & Latinæ societatis legato, actore & auctore, irriti promissi, violatæ fidei, & soluti fœderis ante conscientiæ vestræ tribunal postulamini, & vestro potius, quàm divino alienove judicio, si mea æquo animo dicta patiemini, reos vos efficiam. Respondete mihi, Proceres, nonne postquam sex menses in Mysia, finibusque Thraciæ, cum Turcis tot bella feliciter gessistis, deinde ovantes in Pannoniam rediistis, ab Eugenio Pontifice, & ab universa ferè Italia,

& à

& à Græcorum Imperatore honestissimas legationes accepistis, & congratulationes faustæ victoriæ, & ad continuandum bellum adhortationes accepimus, Nonne cum Eugenio Pontifice, & cum Palæologo Imperatore, atque unà cum Italis & Græcis, ut hi à Thracia cum auxiliaribus copijs occurrerent, Latini classem ingentem in Hellespontum mitterent, sacrosanctum ultrò fœdus, me præsente & authore, percussimus. Si percussistis, cur cum Turcis, *isto violato*, aliud transegistis? Quo jure, quamvis transactum sit, servare poteritis? Ergò si superiore anno cum Pontifice Max. qui Christi Dei vicem gerit in terris, fœdus inivistis; si humani, si rationis compotes estis, si Christiani, secundum omninò vobis fœdus rescindendum est, ne primum & divinum violetis. Quod nisi feceritis vereor, ne sicut Judas Christum, ita vos eius Vicarium prodere videamini, neve Deum, quem hactenus rebus vestris præsentem & propitium semper habuistis, vobis posthàc infestissimum sentiatis.

Nunc autem, quæso, dicite, quid Imperatori Constantinopolitano, qui ex composito iam à primo tempore fuit in castris, & vestrum in tanta opportunitate expectat exercitum: quid Pontifici Maximo, quid Venetis & Genensibus, qui classem instructam habent, ut constitutum fuerat: quid Burgundionibus qui ardore fidei ex Oceano diu soluere & tot pericula maris emensi nunc in Hellesponto navigant, respondebitis? Commentamini, quæso, si potestis, excusationem & colorem aliquem, quo non penitus nostri dissimiles videamur: si quid è recondita arte excudistis expromite. Promisistis vos primo quoque tempore in castris ad futuros: nunc vernant vestri milites & æstivant, & per calamitosam ignaviam ac negligentiam tanta & tam salutaris occasio elabitur. O ingentem animorum cæcitatem! O crassam ignaviam; O execrabile fœdus, ad Christianæ Reip. ictum exitiũ! Incusaverit me fortassis aliquis, cur id cũ cęteris toleraverim? Ad fui, fateor, sed quantum in me fuit, ne id fieret intercessi, improbavi, &, ut multi ex vobis, qui hic adestis, testes esse potestis, instantissimè damnavi. Victus sum Hunniadis sapientiâ & authoritate, Despotisque commiseratione, ne regno ac liberis intercessione meâ ultrà infelix, ipse carere videretur, &, ne me commodorum vestrorum contemptorem oppugnatoremque quisquam appellaret, tristis & invitus cessi. haud in scius hinc salutem Christianæ Reip. labefactari, spem gloriæ ac immortalitatis extingui, & nos omnes pariter divini humanique fœderis violatores perfidos, & Christianę Gentis proditores, ut vestra pace dixerim, appellari. Quare, nisi antequam perfidiæ nostræ tumor longiùs effundatur, nos ipsi ab hac infamia vindicaverimus, nihil turpitudine scelereque vestro ma-

jus aut miserius dici potest. Id si voluerimus, non tam facilè, quàm iustè ac sanctè facere poterimus. Restituta Mysia, redditisque captivis, quid vobis aliud agendum est, Proceres, quàm instaurare exercitus, parare quæcunque bello sunt usui, initum priùs fœdus cum Christianis servare: Dicere, Vladislaum Regem, post percussum cum latinis Græcisque fœdus, nihil inconsultis sociis, quorum auspiciis commune bellum geritur, pacisci potuisse præcipuè cum hostibus Christianæ Religionis: Si quid illi cum Turcis convenerit, fore irritum, priori standũ esse fœderi? Quisnam ita iniquus humanarum rerum examinator est, qui non facilè iudicet initam cum utroque fidem, Christiano potiùs quàm Turcæ, fideli potiùs quàm perfido esse servandam? Omni in perfidum hostem arte, vi, fraudeque uti licet: ars arte eluditur, & fraus fraude circumvenienda est. Dolo Turca à principio in Europam trajecit, dolo pedetentim regnum invasit, nemini unquam fidem servavit, artibus potiùs quàm armis ad id rerum fastigium evectus est. Et vos èone cæcitatis pervenistis, ut Turcæ potiùs omnis fidei ac rationis experti, quàm fidelibus Christianis, imprimisque Pontifici sacrosancto, servandam esse fidem censeatis? Astu & consilio maxima quæque geruntur: Romani majores nostri semper sociorum fidem rectè sanctèque servarunt, perfidos pari arte eluserunt. Fas est quandoque publicæ salutis gratia neque stare pactis, quæ illi contraria, neque perfidis fidem servare: fas est iniqua iuramenta rescindere, & præsertim quæ præter æquum, fas & bonum esse censentur. An Diomedi, quicunque in solo patrio primus occurreret, Diis immortalibus devoventi, obvium sibi filium, ex voto & juramento mactare, fas fuit? Nempe nefas. Aequum & justum jusjurandum, omnium judicio, est sanctè servandum: quod autem non modò ad privatum, sed ad publicum facit exitium, illud irritum ac vanum esse debet: Displicet Deo stulta & infidelis promissio. Eccl. 5. 3. Quas ob res antequam perfidia nostra latè divulgetur, vos quæso, & non sine lachrymis obtestor, Proceres, teque imprimis Rex inclyte, ne datam pro salute Reip. Christianæ sacrosancto Pontifici cæterisque fidem, ullo unquam pacto violandam censeatis initam cum Latinis Græcisque societatem fideliter sanctèque servare: susceptam ex convento expeditionem. Sociorum exemplo prosequimini: jacta immortalitatis ac gloriæ fundamenta tueamini. provincias servitute Turcarum pressas liberate: collatæ in uos spei satis, facite: nolite expectationem nunc Gentium fallere, quo nihil turpius esse potesti Nulla vos initi cum Turca fœdens Religio teneat: illud censete nefarium & detestabile, Pontificis & Christiani foederis violare sanctitatem: Deus, (id quod cælesti benignitate prohibeat) si aliter feceritis, acerrimum violatæ fidei

dei

dei fore vindicem existimate: nihil reputate Christo Opt. Max. gratius, vobisq; gloriosiùs futurum, quàm occupatas à Turcis provincias, à fera illorum servitute vindicare. Nolite hanc opportunissimam occasionem prætérire, qua nulla unquam commodior dari potest. Destituta est à Turcis Europa Carmanico bello: Pontificia classe in Hellesponto interdictus est illis reditus: Thraciam Macedoniam, Græciam, Epirumque invisere tantùm & lustrare opus est: nullus hostis adest, Proinde Pontificium. per Deum quæso, servate fœdus; & fausta feliciaque castra, veluti vobis cum sociis conventum est, in Macedoniam Thraciamque movete. *Hucusque Cardinalis ille*; cujus consilio licet eventus prosperitas haud responderit, æquum tamen piumque fuit.

D.

Ecclesiæ Romanæ doctrina nec est in se incerta, aut dubietatum plena, nec omnimodè inepta ad tranquillandam Conscientiam hominis miseri & peccatoris.

OMnia esse incerta apud nos, ex infinitis iisque capitalibus controversiis, quæ Theologos nostros exerceant & dividant, ita liquere putat Maresius, ut longè citius inter horologia quam inter Theologos nostros possit convenire. Quî verò probat? Nondum, inquit, inter illos constat, penes quem Ecclesiæ infallibillitas resideat, Pontificemne an Concilium; Quid si hoc gratis Maresio daremus, an inde demonstrauit nostros Theologos infinitis controversiis, iisq; capitalibus, ab invicem dissidere? nihil minus; Una controversia multùm distat ab infinitis. Sed nec hoc illæsâ veritate Samueli huic dare possumus; Esto enim, aliquos totam infallibilitatem Pontifici etiam extra conciliariter definienti adscribant; alii hoc non nisi cum Concilio Papæ deferant: utraq; tamē pars in his duobus unanimiter consentit:

I. Vtramq; Sententiam sine detrimento fidei Catholicæ aut salutis posse sustineri.

2. Certum & indubitatum esse, nec absque hæreseos notâ negari

gari

gari posse Pontificem cum Concilio æcumenico aliquid definientem esse infallibilem.

Quod verò dogma *de intentione requisita in* omni Sacramento, sic omnia reddat dubia & lubrica ut in Scepticorum scholis certiora possint haberi; dicitur, sed non probatur.

An potes scire te esse baptizatum , cùm id pependerit ab intentione ministri?

℟. Non possum scire *cretitudine fidei*, cui nullum omninò falsam subesse possit, transeat; Non possum *alia pie & prudenter præsumpta cretitudine*, quæ innititur diuinæ prouidentiæ, haud permissuræ, ut homo, absq; suâ culpâ, tam necessario Sacramenti fructu privetur, & non aliunde hic defectus suppleatur; Sic nego. Item quod tot invalidæ consecrationes vel ordinationes in Ecclesia contingant, ut certi esse nequeamus Patres Concilij Trident. fuisse Episcopos; vel Papam non simoniacè esse intrusum, aut alio ex capite non papabilem, sic negatur. Sed retorqueo hanc, quâ nostræ certitudinis jugulum petere noluit Maresius, sagittam, eiq; regero: Iactas te esse reformatum, & nescis, an sis baptizatus. Probo; Nescis an sis prædestinatus, ergo etiam ignoras, an vere sis baptizatus.

Dices, Scio me esse prædestinatum. Sed unde tibi hæc scientia, vel, si mavis, fides? ubi Dei verbum, ex cuius auditu illam hausisti? Fortè provocabis ad illud Pauli, Rom. VIII. vers. 30. Quos prædestinauit, hos & vocavit. At frustra; recurrit enim eadem dubietas, an sis vocatus vocatione illâ quæ est ex proposito diuinæ Electionis, vel sola vocatione exteriori, etiam reprobis communi: Et quàm diu vitæ librum non introspexerit Maresius, sui prædestinationis certitudinem veram habere non poterit; Ergo nec Baptismi sui.

E.

Doctrinam Ecclesiæ Catholicæ nullius esse efficaciæ ad tranquillandas & sedandas hominum miserorum anxias Conscientias inde liquere Maresius dictitat

a. Quia fiduciam in Christum servatorem abijcere cogit. Sed qui hoc probatum dabis? Quis Papa, aut quod Concilium unquam docuit aut mandavit

vit fiduciam in Christum servatorem abjicere? Paulus V. Papa in rituali Romano recognito parochis infirmos visitantibus injungit, ut ægrotum hortentur, ut OMNEM SUAM SPEM IN DEO PONAT, pag. mihi 120. Concilium verò Tridentinum homines ad justificationẽ disponi docet, quando fidunt Deum propter Christum sibi propitium fore sess. VI. c. 6:

b. Quia meritis proprijs niti homines jubet. Et hoc falsissimum. Contrarium urget, & propter propriæ justitiæ incertitudinem, & ob vanæ gloriæ periculum, omnium esse tutissimum judicat, omnem suam spem non in meritis suis, sed in sola Dei misericordia reponere, ita loquitur Bellarminus. Aliud est obedire Evangelio & media ad salutem à Christo præscripta, puta fidem, pænitentiam cum alis Sacramentis adhibere, aliud in his actibus ultimo spem & fiduciam collocare. Primum Catholici Studiose perficiunt sed postquam omnia præstiterint sese inutiles servos pronunciant & Salutis suæ certitudinem à miserentis Dei bonitate & Passionis Christi meritis ex asse sibi pollicentur.

c. Vult, ut homines fiduciam reponant in Sanctis. Non ita crudè & nudè. Audiat & discat tandem ex catechesi Romanã doctrinam Ecclesiæ Doctor hic non Israël, sed in Babylone: Etsi fatendum est, unum nobis mediatorem propositum Christum Dominum, qui scilicet unus nos per sanguinem Patri cælesti reconciliavit, & qui æterna redemptione inventa, semel in Sancta ingressus pro nobis interpellare non cessat: Ex eo tamen nullo modo sequitur, quo minus ad Sanctorum gratiam confugere liceat &c. Si vero ad feratur FIERI INOPIA ET IMBECILITATE FIDEI, UT SANCTOS INTERNUNTIOS ET PATRONOS adhibeamus: quid ad illud respondebunt Centurionis exemplum Matt. VIII. Luc. VII. singulari illo fidei præconio celebris, quod Dominus impertivit, seniores tamen Judæorum ad salvatorem mittentis ut laboranti puero salutem impetrarent? Cat. Rom. part. III. n. 7. 6.

d. Salutis certitudinem ex Dei Misericordia & gratia palam impugnat, & omni solamine destitutam relinquit Conscientiam afflictam. O plene omni dolo, & omni fallaciâ, fili Diaboli! Quousque perges ita contra propriæ

tuæ conſcientiæ dictamen S. Dei Eccleſiæ doctrinam ſubvertere: Nonne ſæpius, ſine dubio, legiſti verba S. Concilii Tridentini, ſeſſ. VI. c. 9. Sicut NEMO PIVS DE DEI MISERICORDIA, DE CHRISTI MERITO, deque Sacramentorum virtute & efficacia DVBITARE DEBET: Sic quilibet, dum ſeipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt &c.

Non minus clarè hanc Mareſij calumniam refutant verba Synodi noſtræ Provincialis Moguntinenſis ſub Sebaſtiano Archipræſule ſuperioris ſæculi Annò XLIX. celèbratæ, in qua ſic definitum legimus, cap. VII. Prævenientem gratiam, cum per alia media, tum potiſſimum in prædicatione verbi, ad converſionem hominum operari, dum homo peccatorum ſuorum admonitus, & à Deo juſto judice conſtituta peccatis ſupplicia metuens, mox excitatus & adiutus Dei gratia à timore peccati AD DEI MISERICORDIAM COGITATIONE DEFLECTIT; & cum alia omnia in Scripturis revelata, TVM HOC PRÆCIPVÆ FIDE FIRMA CAPIT DEVM PECCATORIBVS PROPTER CHRISTVM MISERERI VELLE. QVA SVBNIXVS FIDVCIA Spem concipit, & timorem animo eijcit, ac Deum, quem ad miſerandum proclivem, ſibique jam propitium credit, diligere, & peccata, quæ ipſum à Deo ſeparabant, odiſſe incipit &c. Prolixior hac in re forem, ſi aliorum Conciliorum particularia, & vel maximè Petriconienſis in Polonia duobus annis poſt Mog. modo laudatam Synodum habiti ex S. Bernardo & D. Anſelmo teſtimonia laudata adiicerem. Deſinant ergo Calviniani nos cavillis huiuſcemodi mendacibus laceſſere. Veram & ſinceram in Deum fiduciam in omni Chriſtiano ſtrictè exigimus, & oppoſitum vitium inter gradus peccati in Sp. S. referimus.

F

Eccleſia Catholicæ doctrina in multis & ſibi peculiaribus capitibus non eſt novitia & multò recentior tempore Apoſtolorum &c.

CONtrarium quidem poſt Molinæum in novitate Papatus & Titium Helmſtenſem in oſten ſione ſummariâ, audacter pronuntiat Mareſius, aſt omni noſu-

no futiliter probat. Cur non potius refutatum fuit, quæ incomparabilis Theologus Forerus Sedanensi illi veteratori reposuerat *in antequitate Papatus*?

Audiamus verò nova Maresij acumina &c. & quæ illi defecerunt ex modo laudata Titii ostensione examinanda assumamus.

a. Ante centum demum annos Conc. Trident. definivit sess. IV. traditiones non scriptas pari pietatis affectu & reverentia suscipiendas esse ac Scripturas Canonicas.

℞. Demus hoc. Ergo hoc dogma est novitium & multò recentius tempore Apostolorum. Nego consequentiam, & do ex Maresij primâ dissert. n. LXXXIV. evidentissimam instantiam n. XXV. in Groninganâ academiâ authoritate publicâ refixa est sententia de obiecto prædestinationis QVÆ CONTRA MENTEM ET DEFINITIONEM Synodi Nationalis Dordracenæ supra lapsum in illo assignando ascendebat. Hinc sic arguo: Demum ante 46. annos Concilium Dordracenum definivit obiectum prædestinationis esse hominem lapsum. Ergo hoc dogma est novitum, & multò recentius tempore Apostolorum.

Si hanc sequelam admittit, Magistratum suum Groningensem tyrannidis arguit, qui Theologos suos ad novitium hoc dogma tuendum adstrinxit.

Si neget & dicat hoc dogma in Dei verbo jam ipso Apostolorum ævo comprehensum fuisse, & solummodo per Synodum fuisse ex scriptura definitivè erutum & prolatum; idem nos dicemus de dogmate Traditionum &c. Et revera claudicans hæc est illatio: Quicquid ab Ecclesia ex Traditione vel scriptura definitur, non ascendit ultra tempus, quo definitum est. Hinc enim sequeretur dogma Trinitatis, divinitatis Spiritus Sancti, unitatis personæ, & dualitatis naturarum in unico Christo non ascendere supra tempus, quo Synodus Nicæna Constant. Ephesina, Chalcedonensis habitæ fuerunt.

b. Dogma quod Editio vulgata inter omnes Latinas sit sola authentica definivit idem Concilium Trident. sess. IV. Nec ante fuit pro dogmate tali unquam habitum. Sic arguit Titius. sed Responsio ex priori sua sponte fluit. Esto non fuerit hoc dogma ante illam definitionem in ratione cogniti, fuit tamen in ratione esse; Non enim desunt, ex ipsissimet reformatis moderatis qui hanc editionem ad ipsam Apostolorum ætatem re-

ferùnt: hoc exertè fatetur ex reformatis Isaacus Vosius in tractat. de Septuaginta interpretibus, ubi in præfat. ad Lectorem ait: Antiqua versio Latina ab Apostolicis temporibus usque ad Hieronymum obtinuit. Quo supposito, benè potuit Ecclesia ex illâ traditione definire, quænâ inter tot editiones Latinas esset purior & securior. Neque per hoc aliquid derogavit authentiæ Hebraicæ V. & Græcæ N.T. editioni, si quam fortè habeat, vel saltem D. Hilarii & S. Hieronymi temporibus, nondum à perfidis Masorethis in totlocis corrupta, habuerit. Et si Synodis protestantium fas atque facultas fuit definiendi Editionem etiam hodiernam Hebraici textus in veteri, & Græci in Novo Testamento esse authenticam & primo autographo ex asse conformem sine scriptura & traditione: Cur non potuisset tota Ecclesia latina non contradicente Græca & aliis orientalibus ex suâ canâ ac sanâ traditione Latini vulgati contextus authentiam definire, maximè cùm nunquam ex ipsis protestantibus defuerint, qui hanc Bibilorum editionem aliis præferrent si non in omnibus, saltem in plurimis. Talis olim erat in Academia Cassellensi doctus & cordatus vir & Theologiæ Professor Combachius, qui vulgatam in deliciis habebat & identidē commendabat. Talis fuit famosus in Gallia Capellus, qui Rabinizantes Sociennos egregiè perstrinxit, & hoc nomine ab Usserio, Buxtorffio & aliis multùm vapulat. Ipse Beza quanti vulgatum nostrum fecerit supra ex præfat. ad N. T. ostendimus. Hunc autem Bezam omnibus scripturæ interpretibus Palmam ex eo præripere quod ea quæ Valla & Erasmus tentaverant pensitavit & omnia, quæ ad genuinum Sacri contextus sensum eruendum potuerunt tunc temporis adhiberi, adduxit &c. ut ex reformatis gloriatur Balduinus Walæus in comment. suo perpetuo Novi Testamenti in præf. ad lectorem.

c. Prohibetur in Conc: Trident. sess. xxii. c. 9. & can. 9. ne passim omnibus sine discrimine concedatur eiusmodi (Bibilorum in vernaculus lingnas conversorum) lectio, & ne in publico & communi usu Ecclesiæ scripturæ legantur, vel canantur vulgaribus linguis &c. Ergo hoc est dogma novitium.

℞. Negatur consequentia ex supradictis; Antiquissimum enim & ipsa Apostolorum ætate receptum dogma est adulteratum Dei verbum simplicioribus substrahere 1. Tim. vi. vers. 20. 21. Cui ipsimet adversarij applaudunt, quando suos à sequioris notæ translationibus omnibus modis arcent. Si in Saxoniam inferrentur Bibilia vernacula à socinianis edita, & glossematis vene-

natis

natis referta, an non interdicerent Lutherani suos earum Lectione? sine dubio Parem igitur facultatem cur toti Ecclesiæ denegant? Dixi supra in plerisq; provinciis nunquam obtinuisse hoc positivum Ecclesiæ præceptum de non legendis Bibiliis vernaculis. Non diu in Brabantia, nunquam in Gallia, Germania, Hungaria vel Polonia. Imò longè plures prostant versiones Catholicæ vernaculæ in Germania, quàm sectariæ. Lutherus concoquere non potuit quod sibi Tigurmi auctoritatem vertendi Biblia sumerent fatente Calixto in consultatione de tolerantia reform. pag. mihi 60. Helveti exclusere Wittenbergensem. In imperio reformati correxere textum Lutheri in editione Neostadiana, Hanovica, Heidelbergensi. Piscator propriam cudere, quàm Lutheri admittere versionem. maluit. Catholicos inter jam ante Lutherum viguit versio Norimbergæ & Argentinæ excusa. Illis pluribus seculis antiquior fuit versio Sclavonica S. Hieronymi & Armenica D. Chrysostomi teste Sixto senensi in Bibl. Sancta. Post Lutherum liberè utuntur nostri Germani, alii translatione Ecci, alii Dietenbergii, alii Ulembergii, quibus auctarii loco accessit novissime nitidissima versio Germanica Eminentissimi nostri Archipræsulis ac Electoris Principis auspiciis, & impendiis benè multis tam operæ sacræ quam expensarum. in lucem edita.

d. A Scriptura sacra progreditur Titius ad Pontificem Romanum, aitque Pontificios, quo nomine indigitat Catholicos; hodie in mensum illum extollere, cuius voci ceu cælesti parendum sit.

Sed in deductione apparet vanitas huius dicæ. Demus enim cum S. Thoma, Bonaventura, Estio, Alberto Pighio, Societatis Jesu Theologos hodie universos Pontifici etiam seorsim considerato, infallibilitatem attribuere: An hæc propterea est Catholicorum omnium sententia Catholicè certa? Nihil minus. Constantiensis Synodus sess. IV. Anno 1415. Alphonosus à Castro. Adrianus sextus ab ipsomet Titio, sine nota ulla hæreseos, contrarium docuerue, hodieque docent nō pauci Parisienses, Lovanienies, & benè multi Theologi Germani, Galli, Belgæ, Ungari Poloni In ipsis Hispanis non defuerunt neč desunt in præsentiarum huius sententiæ contrariæ sectatores, & nisi Lutheri Schisma intervenisset, indubiè jam dudum universim hæc sententia obtinuisset. Ex recentioribus Lugo, Arriaga, Cornæus, Eiberm nus & alii ingenuè fatentur suam sententium non sic esse fidei Catholicæ ut opposita sit contra fidem.

 Distin-

Distinguimus nos inter

PRIMATVM PONTIFICIS & inter eiusdem INFALLIBILITATEM.

PRIMATUS Papæ iterum dupli-ci ratione attendi debet:

I.

QUatenus se extendit super omnes Episcopos seorsim considera-ratos, & sic apud omnes de fide Catholicâ certũ est, Pontifici omnes & singulos orbis Christiani Pastores subesse, eumq; habere super illos potestatem, non tantùm directiuam aut precedentiam ordinis; sed etiam corectivam; Ipsius enim est confirmare fratres Luc. cap. XX.I, 32. occidere & manducare. Act. x, vers. 13. mucione disciplinæ, & protervos flagitiososq; tradere sathanæ in interitum carnis ut spiritus salvus fiat 1 Cor. v. vers. 5. Eandem potestatem habet etiam super reges & principes terræ, quos ligare æquè ac solvere potest, si non in corpore, saltem in animâ, si non ui armatâ, certè virtute Spiritus. Regna mundi illis auferre vix solet neque forte debet. Regno cælorum illos arcere potest, & debet, si intelligere aut erudiri detrectent.

2. Quando verò Episcopi vel omnes, vel saltem præcipui, in unum congregati existunt, ut videant de aliquo vero, tunc Petrus in pontifice primus assurgat & loquatur; quia iam ab antiquis diebus Deus illum elegit, ut per os eius audiant gentes verbum Evangelii: tamen etiam Barnabæ, Paulo atquè Iacobo tunc loqui seu responsa dare fas est, Act. xv. Scholasticâ autem est quæstio fidei certitudinem minimè attingens disceptare, an à solo Pontifice vel partim à Pontifice partim à cætu Episcoporum Concilio suâ proveniat infallibilitas; sicut enim Christus totius Ecclesiæ Caput est, ita in totum corpus suum mysticum gratiæ suæ charisma diffiundit, diverso tamen gradu: Nnm verò eousque in Pontificem hæc infal ibilitatis gratia descendat, ut solus etiam abs-

que

que Ordinario Concilii generalis medio aliquid controversum sic determinare valeat, ut eius determinatio nullius anterioris concilii. authoritate subnixa è vestigio omnium Christi fidelium assensum fidei exigere possit : quia nec in scripturis divinis, nec in traditione ita clarè expressum est, ut omnes divinarum rerum gnari & Deum timentes id inde colligere per intellectum suum constringantur, neque ab ullo. plenario concilio hucusque definitum est ideò in hanc usqu horam hæc indecisa manet, ita ut etiam nonnulli, quos inter excellentissimæ gratiæ viros pia mater Ecclesia numerat, qualis olim erat S. Cyprianus, teste D. August. lib. 6. de Baptism: contra Donatistas, c. 2. reperiantur, qui hoc vel disertè negent, vel saltem in medio relinquant. Et sicut cornelius Papa etiam postquam cum nationali Italiæ concilio sententiam Cypriani erroneâ esse declarasset, eiusque Successor Stephanus hanc concilii sententiam non modò probasset, sed insuper præcepto inhibitorio de non rebaptizandis ijs, quos heretici baptizassent: Cyprianum tamen contrarium mordicus defendentem à communione Catholicâ non exclusit, neque hanc rem de fide facere voluit sine concilio generali teste Bellarmino Lib. iv. de Rom. Pontif. c. Itaque nihil est consultius, quàm si pontifices ad exemplum Cornelij ac Stephani, quoties contra Catholicæ communionis Episcopos & Doctores agitur, rei decisionem ad Concilium generale differant, vel si controvertentes partes sedis Apostolicæ mentem instanter expetant, eam sic declarent, ut neutri sententiæ suam probabilitatem per hoc adimant; sicut Stephanus Papa in sententiâ Cypriani fecit, quam noluit per contrariæ definitionem, tanquam de fide certæ hæreseos arguere, ut benè observauit magnus Bellarminus. Illi etiam frustra oblatrat Titius, quando hoc Cardinalis interpretamentum σοφὸν φάρμακον dictitat; Est enim omninò salubre pharmachum, quo virus venenatæ calumniæ expellitur, quasi vel Cyprianus Stephani authoritatem nullatenus agnoverit, vel Stephanus Cypriani sententiæ utique falsæ, non tamen ab ullo ad huc plenario concilio damnatæ, hæreseos notam inusserit.

Adhuc curiosior (ne dicam, otiosior) est quæstio illorum, qui scire cupiunt, cui parti quis accedere debeat, si fortè in generali Concilio circa aliquam controversiam à Pontificis sententiâ reliquorum Patrum cohors decedat. Præterquam enim quod hic casus sit ferè metaphysicus, & hucusque in Ecclesiâ non auditus, non est dubitandum, quod etiam supposito tali imaginario sententiarum diuortio ideò potius præsumendum sit pro Pontificis sententiâ, quia ex tot gestis in Ecclesiâ abundè constat definitiones Pontificis extraconciliares

in

in subsequentibus Synodis ut plurimùm fuisse comprobatas, ut ex supra adductâ quæstione de anabaptismo in Nicæno Concilio terminata patescit; Prudentis itaque foret, rebus sic stantibus, neutri quidem parti fidei certitudine ad hærere, in Pontificis tamen sententiam magis propendere. Piè interim credere possumus, Deum in ea tempora suum populum nunquam reservaturum, in quo Ecclesia cum suo capite in synodo generali committatur.

3. Quando etiam Pontifices in exercitio sui Primatus eousque procedunt, ut sibi nec à plenario Concilio ullas correctionis seu reformationis leges præscribi permittant, ne quidem *directivè*. Sed potius sine rationabili causa utilissimas. Sanctiones generalim conciliorum domesticis suis dispensationibus sæpè sæpius per suos enervari permittant: quod tamen post Tridentinum vix unquam contigit In his aliisque id genus Papalis Primatus ac potestatis exercitijs Pontificem terminos suæ jurisdictionis haudquaquam prætergressum fuisse, tantum abest, ut quis catholicorum catholicâ fide credendum statuat, ut contra hæc ipsa nomine suo & omnium Catholicorum Imperij principum ac statuum gloriosæ recordationis Imperatorem Carolum V. per suum Legatum in Concilio Tridentino hisce formalibus publicè protestatum fuisse, dicatur in quodam impresso libello Marianæ nostræ bibliothecæ in quo habentur sequentia:

PETITIONES ORATORIS

Cæsareæ Majestatis

ad Concilium Tridentinum

De Reformatione,

I.

Orandum in primis summum Pontificem, ut SEIPSUM ET ROM. CURIAM reformari benignè patiatur

II.

II.

Vt numerus Cardinalium reducatur, si non ad duodenarium, saltem ad duplicatum; cum duobus supernumerariis, nempe XXVI.

III.

Providendum ne fiant amplius dispensationes scandalosæ.

IV.

Revocandas omnes exemptiones, contra jura communia, passim concessas; Monasteria namque omnia sub eius Episcopi potestate constituenda, sub cuius sunt Diœcesi.

Reliqua brevitatis studio prætererire oportet. Videat, cui placet impressa unà cum oratione habita ab Oratore Illustrissimi D. Alberti Ducis Bavariæ, Anno 1563. Quam bene vel male verò hæc petita fuerint à Cæsaris Legatis, alij me Sapientiores dijudicent.

INFALLIBILITAS verò Summi Pontificis, quam nemo Catholicorum, absque jactura fidei & salutis, in dubium vocare potest, hæc est:

1. Quando Pontifex extra Concilium aliquid jam à prædecessore uno vel pluribus in concilio æcumenico definitum esse, adhibitis in consilium non tantum Ecclesiæ & curiæ Romanæ prælatis & Theologis sed insuper auditis aliarum Catholicorum Theologorum per orbem Christianum celebriorum judiciis, declarat: hanc declarationem indubitatæ certitudinis esse nemo nisi hæreticus, vel de hæresi suspectus negare potest, aut debet; Cùm enim in

omnium ſententiâ, Pontificis ſit ea etiam, quæ noviter ex ſcripturâ vel traditione in Conciliis deciſa ſunt, confirmare, & hæc confirmatio non arbitria ſed neceſſaria ſit cuilibet æcumenico concilio ex Chriſti diviniſſimo ad Petrum oraculo: Tu confirma fratres tuos &c. Luc. XXII. 32. Multò magis certum eſſe debet, declarationes ſuper jam definitis eſſe Catholicâ fide ampleċtendas. Sic quando noviſſimè Innocentius X. damnavit propoſitiones Ianſeniticas in diverſis Conciliis damnatas, ac proinde ceu hæreticas fugiendas; hæc Eius declaratio etiam extra & ſine Concilio facta, indubitanter credenda eſt.

2. Quando Pontifex etiam quæſtionem noviter exortam, & nullo adhuc concilio plenario terminatam, ad plerorumque Catholicæ Communionis Epiſcoporum ac Principum inſtantiam ex Dei verbo mediis opportunis & conſuetis in anteceſſum adhibitis definiret, & hanc definitionem ex orbe Catholico, nullis vel admodum paucis reluċtantibus, cæteri ambabus veluti manibus ampleċterentur, Si non Catholicâ fide tenendum, à nemine tamen impugnandũ, ſed potius pro vero tamdiu habendũ donec ab hoc vel alio pontifice unà cum Concilio retraċtetur, pieque præſumendum Pontificẽ à Veritatis tramite nõ deflexiſſe. Sic cum Leo X. urgentibus non tantũ Italiæ & Hiſpaniæ, ſed ipſius etiam Germaniæ, Galliæ, Hungariæ, Poloniæque Præſulibus, erroneas Lutheri propoſitiones damnaſſet, & hanc eius damnationem nobiliores orbis Chriſtiani univerſitates, Pariſienſis, Colonienſis, Lovanienſis, unà cum Moguntinâ & Ingolſtadienſi omnibus modis laudaſſent & propugnaſſent, nemini de Pontificis huius infallibilitate, quoad hunc aċtum dubitare fas erat,

Similiter ſi poſt tot Chriſtianarum nationum & præcipuorum orbis Theologorum enixiſſimas petitiones ad ſenſum ferè omnium Catholicorum S. D. N. hodie vel propediem, quod divina nobis largiatur bonitas, definiret ex Scriptura & traditione Eccleſiæ, tenendum eſſe de fide ſuperbenediċtam Dei Matrem abſque labe origineâ conceptam eſſe per ſpeciale Dei Privilegium, & in illorum numero haud eſſe comprehenſam, qui in Adamo peccârunt; Si huic definitioni mox orbis Chriſtiani calculus, imò applauſus accederet, ſine dubio huic definitioni fides adhibenda eſſet, pieque credendum Pontificem in hac definitione fuiſſe ab omni errore divinitus præſervatum.

Ratio fundamentalis huius noſtræ aſſertionis hæc eſt:

1. Quia in hac definitione Pontifex non tantùm ſuum, ſed totius

tius insuper Ecclesiæ jam tantis desideriis, & tam Luculentis plerorumque Christi fidelium Doctorum commentariis insinuatum sensum Veritati divinæ conformem esse declararet.

2. Quia subsequens Ecclesiæ consensus & Episcoporum acceptatio vim saltem aliqualem concilii habet; Quis enim dicat à Locali conventione Præsulum Spiritus Sancti directionem ita dependere, ut absque illâ, quam sæpè Ecclesia obvaria impedimenta sperare vel obtinere non potest, haberi nequeat?

Electionem Pontificis canonicam fuisse, unde nobis constat? Certè non aliunde certius, quàm ex acceptatione & approbatione expressa Sacri Collegii Eminentissimorum D. Cardinalium tum etiam tacita Episcoporum & cæterorum Christi fidelium per universum orbem Christianum degentium.

Dices, in casu *dubii Pontificis* necessario requiritur Concilium; Ergo non sufficit acceptatio extraconciliaris.

R. Conceditur antecedens in casu *dubii publicè moti ác noti*: Non verò *in dubio à privato hoc vel illo apprehenso*; ad hoc enim tollendū sufficit calculus maioris & melioris partis Christianorū, quos in errorem talem, ut pseudopontificem universim pro legitimo habeant, incidere, Dei bonitas & providentia nunquam permittet.

e. In censum novitiorum Ecclesia Rom. dogmatum refert cum Titio Maresius dogma Purgatorii negatque ante Concilium Florentinum sub Eugenio Papa 1439. habitum, in fidei articulum abiisse. Demus hoc liberaliter ambobus istis novatoribus. Quid inde? Ergo dogma hoc est novitium? Cur non potius dicamus novitium & post Annum 1517. natum esse ex Luthero fidei articulum, negationem purgatorii? Fuisse in sententia affirmante plurimos Patres ad oculum probarunt Bellarminus tom. II. controv. III. generali. Neque vel unum hucusque omnes Purgatorii impugnatores ex antiquis Scriptoribus, qui Catholicus audierit, producere potuerunt, qui purgatorium esse negaverit. *Quarto Seculo* negavit Aerius orationes defunctis prodesse, hac ipsa de causa hæreticorum albo à SS. Epiphanio & Augustino inscriptus. *Sexto Seculo* Armeni nonnulli ipsam existentiam purgatorii inficias ibant, à Guidone propterea in hæreticorum censum relati. *Duodecimo* seculo idem negabant Petrobrussiani & Henriciani à S. Bernardo viro, in ipsorum Protestanti-

um existimatione pientissimo & in S. Literis exercitatissimo publicè ceu hæretici serm. 66. in cantica damnati & rejecti. Ex his sequens sua sponte fluit apodix Protestantiummet hypothesi Palmaria subnixa:

Articulus fidei quem in Scripturæ sacræ utriusque Testamenti locis bene multis Sanctissimi, doctissimique primorum seculorum patres clare contineri testati fuerunt, neque ullum ex orthodoxis unquam contradicentem habuerunt; ille sine dubio in SS. literis continetur, ac proinde non novitius sed antiquus, verus & creditu necessarius est.

Talis est articulus de existentia purgatorii &c. Ergò.

MAjorem, non nisi ex Protestantium hypothesi hic asseremus: *Ille est Articulus verus necessarius, quē ex obvio Scripturæ divinæ sensu sic erruunt universim orthodoxi Expositores, ut nullus ex tota Ecclesia illis in hoc refragetur*; hoc verū esse sua praxi testantur Protestantes tam Augustani quàm reformati. Cur enim apud Augustanos Articulus de reali & indistanti præsentia corporis & sanguinis dominici in Eucharistia, non tantum est *verus sed etiam creditu necessarius*? quia ad unum omnes Augustanæ communionis DD. illum in verbis institutionis perspicuè contineri & necessariò inde concludi asserunt. Cur apud reformatos Articulus *verus & necessarius* est Articulus de Trinitate personarum in unitate Essentiæ? quia omnes reformati Theologi ex Scripturæ locis diversis illum probant, & si quis negaret aliqua saltem loca ad probandum hoc mysterium ab illis allata esse apta & concludentia, hoc ipso socinianus apud illos audiret. Quippe qui contra sensum & consensum totius Ecclesiæ reformatæ sese opponeret.

Tantum ergo SS. Patribus primorum quatuor seculorum Protestantes tribuere convenit, ut, Articulum quem ex SS. Scripturæ pluribus locis passim adstruxerunt, nec in hac Scripturæ Expositione ullum per integra illa sæcula adversarium, præterquam notoriè hæreticos, passi sunt, pro vero & necessario articulo agnoscant.

Minor à nostris solidè & fusè præstita est; Ex Esaiæ c. IV. vers. 4. arguit purgatorium S. Augustinus lib. 20. de C. D. c. 25. teste P. F. Raymundo Carono:

Ex

Ex Psalm. LXV. verf. 12. probat S. Ambrosius in Psalm. 36. eodem referente in Roma sua triumphante.

Ex Matth. XII. verf. 32. egregiè demonstrat S. Augustinus lib. 21. C. D. c. 13. 13. apud Walenburgios in tract. de unitate Ecclesiæ, lib. 13. §. probatio Catholica Ex SS. Patribus. S. Scripturam explicantibus conf. eundem Aug. lib. 6. contra Julianum c. 15.

Ex Malach. c. III. verf. 2. 3 ex hoc loco Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus in expositione Concilii florent. c. 8. cuius verba, cum non ita passim occurrant, ex tom. IV. Biblioth. SS. PP. hic juvat apponere: *Ignis conflans & emundans non pertinet ad beatos in cælo, utpote mundissimos: nec ad damnatos in gehenna, utpote inemundabiles & inemendabiles, ergo pertinet ad animas purgatorij: in eo ergò est ignis conflans & emundans animas justorum à levibus & venialibus peccatis.*

Neq; dicas in sufficiens est hæc Gennadii distributio statuũ animæ; datur tertius hominum in hac vita ad quos ignis conflans & emundans pertinere potest. Hoc namque effugium sibimet ipsis præcludunt Protestantes, quando Deum hujus vitæ mortales per justificationis imò & Sanctificationis gratiam ita perfectè emundare negant, ut auro vel argento assimilari possint. Accedit, quod Gennadio recentiori vetustissimus Origenes homil. VI. in Exodum suffragetur dicens: sed & illuc cùm venitur, si quis multa opera bona, Et parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum, TANQVAM PLUMBUM IGNI RESOLVITUR, ET PURGATUR, & totum remanet AURUM PURUM &c. Neque obest, aliquos hunc Malachiæ locum interpretari de tribulatione illa magna qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet Matth. XXIV. verf. 21. Nam ex hoc ipso rectè inferunt, quod ante novissimum diem sit futurus ignis qui in electis quam celerrime omnem superstitem maculam & reliquias peccatorum expurgabit. Quod ergo aliæ *extensivè* patientur, hoc illæ animæ *intensivè* quoad magnitudinem pænæ subibunt.

Ex I. Cor. III. verf. 12. sequent. Ex hoc loco post Innocentium III. in Psalm. 37. Innocentium IV. in bulla ad Episc. Tuscul. Ambrosum in h. l. Hieronymum in cap. 4. Amos Augustinum in Psalm. 37. lib. 50. homiliarum homil. 16. serm. 41. de sanct. à DD. Wallenburgicis relatum & à Crocii offuciis vindicatum lib 13. de unitate Eccles. à n. CXXVII. usque ad n. CXXXVII. ipsum Florentinum Concilium in prima Collat. 14, 8. asseruit; eius assertionem ex Epitome Concilii Biniana recenset P. Judocus Andries in tract. purgatorium Catholicè assertum his verbis; *Latini testimonio S. Pauli I. Cor. 3. asserebant, dari locum*

cum quendam, quo animæ fidelium, cum reatu leviorũ vel etiam pœnæ decedentes per ignem purgantur & salvantur. Cumque Græci de igne æterno locum Apostoli exponerent sic: ipse damnatus per ignẽ salvabitur, sive in igne semper salvus erit, & non consumetur, replicarunt latini, id nulla ratione affirmari posse, quoniam Paulus utitur verbo, salvabitur, quod Cur ex scriptura demonstrarunt *nunquam aliter quàm in bonam partem accipi consuevit:* TVM OMNES VNO ORE ASSENSI SVNT.

Ex Luc. c. III. verſ. 16. Origenes homil. XIII in Jeremiam; S. Basilius M. lib. 5. de Spiritu S. contra Eunomium c. 15. & comm. in c. 4. Esaiæ. Conatus quidem Chamierius Originis textum ex hoc eludere, quòd loquatur de eo qui post fidem & magisterium Dei, rursum AD SCELERA CONVERSVS EST, his autem non purgatorii sed gehennæ locum etiam in Catholicorum sententia competere. Verum enim verò, non dicit Origenes quod cum sceleribus hi tales sint cruciandi incendio ignis purgatorii; sed quod propter hæc scelera, utique quoad culpæ & æternæ pœnæ reatum jam expiata ratione verò pœnæ temporalis necdum penitus dimissa, lavacro ignis adhuc indigeant.

Ad Basilii locum non habet quod de suo reponat Chamier, unde ad Toleti suffragium confugit eoque teste evincere conatur S. Illum Patrem per hoc baptisma gehennæ incendium intellexisse. Demus igitur in gratiam Toleti Catholici & verè acuti interpretis Basilium alicubi combustionem damnatorum baptismo ignis expressisse; an hinc conficiet etiam loco à nobis producto eodem sensu accepisse? certè non; Obstant enim verba Magni Doctoris quæ sic habent: Ignis Baptisma Explorationem in judicio appello; in inferno namque damnati non explorantur, sed supponnutur jam explorati & judicati. Neque hac exploratione Baptisma tribulationum huius vitæ indigitare voluit; noverat enim hoc à phrasi Paulina alienum esse, qui iudicium hoc ad Domini diem refert, qui sit declaraturus unicujusque opus, quia in igne revelabitur I. Cor. III. verſ. 13. 14. Diem autem Domini alterius sæculi non hujus vitæ tempus denotare, & nostris diebus opponi ex pluribus scripturæ locis adeò manifestum est ut probatione ulla haud indigeat.

Conclusio itaque nostræ apodixeos sua sponte ex his præmissis fluit & est talis:

Ergo Articulus de purgatorio nõ est novitium monachorum vel sacerdotum pontificiorum commentum sed vetustissimum ac verissimum Sacratissimæ

mæ fidei nostræ decretum, non ex Ecclesiæ duntaxat definitione vel SS. Patrum doctrina utcunque, sed simul ex ipsis divinæ Scripturæ utriusque fœderis contextibus, in quibus apertissime & tantum non totidem verbis traditur, evictum.

F. Inter novitia dogmata Romanæ Ecclesiæ reputat D. Titius etiam missæ sacrificium sed eius antiquitatem ex scripturis abundè infra demonstrabimus. unum est quod D. Titio impune esse haud debet, quando celeberrimum Theologum Duacenum Matthæum Galenum traducit, quasi post Tridentinum Concilium NOVITATEM ET DIFFICULTATEM SACRIFICII JLLIUS VERI AC PROPRII perviderit & prodiderit. Audet verba adscribere eximii illius Theologi, quorum ne quidem apex in tota illa Catechesi CXLIII. apparet; imò directè contrarium in ea quando Tridentinam Synodum neminem nisi prorsus nefarium contemnere totidem verbis pronunciat. Vetustatem autem huius dogmatis de missæ sacrificio VERO ET PROPITIATORIO Catechesi CXXXVIII. ex scriptura, Justino Martyre, D. Martiali per Basilienses Sacramentarios primùm in lucem edito, S. Irenæo Malachiæ prophetiam cum Lucæ Evangelio commiscente tam solide & delucidè asserit, ut mihi persuadere nequeam D. Titium hunc Galenum unquam legisse, sed forte ex alio aliquo hoc crimen falsi minus prudenter suum fecisse. Editio mea qua utor Anno M.D.XCIII. Lugduni apud Thomam Soveron impressa est. viderit autem Titius ex cuius officina prodierint Catecheses Galeni cui hæc venenosa verba inserta fuerunt. Certè Galeno nunquam in mentem venisse potuerunt, quando Missæ sacrificium sic definit: *Missa EST SACRIFICIUM, QVO pane & vino aqua diluto in corpus & sanguinem Domini per transubstantiationem conversis, quondam in crucem actus, & immolatus filius suus Deo & Patri: tùm in memoriam per pessionis, tum pro vivis, & in Catholica pace, seu fide defunctu rite offertur.* Catech. CXXXIX.

Ulterius in Galeni nostri Catechesibus progredior & Titio ex Catech. CXXXV. exhibeo verba quibus non de Tridentini concil. Patribus sed de nō nullis, ut loquitur, qui post conventum Tridentinum rem istam (puta definitionem sacrificii missæ) dare effectam conati sunt & sua tamen vitia sustineant. In eadem catechesi ait: concilium Tridentinum piis omnibus ABVNDE SATIS ESSE &c.

Vim etiam propitiatoriam cujus Sacrificii bene à P. P. Tridentinis vocabulo *labri* indigitari, ex eo probat catech. CXLI. quod per Missæ Sacrificium *ad modum labri in præsentiū animos immensa crucis virtus defluat* conf. catech. CXLII. Hæc, spero, sufficient D. Titio ut agnoscat se fuisse deceptum vel corrupta

catech

Catech. Galenicarum editione; vel fraudulenta citatione. Frustra autem est in impugnandis missis, quas, vocat, solitariis; Quamdiu enim stabit veritas Catholicæ quod missa sit verum & propriè dictum Sacrificium; tam, diu non poterunt corruere missæ, quas nos non privatas sed parvas seu lectas missas, vocamus Quo sensu autem hoc nomine privatæ dicantur fusè explicat Bellarminus lib. II. de Missa c. IX. Non desunt interim ex nostris qui secus statuant, omnemque Missam, sive oblationem sive communionem spectes, publicam esse non privatam velint, etsi nemo præter sacerdotem communicet, ita cum Durando Tholosano cap. 4. lib. 2. de ritibus Hardingus Anglus. Et licet Bellarminus fateatur nusquam expressè legi à veteribus oblatum sacrificium sine communione alicuius vel aliquorum præter Sacerdotem, sed tantum ex conjecturis id se posse colligere fateatur; Id quod avide lætusque ante Titium Chamier Sacramentariorum in Galliis triarius miles arripuit: per hoc tamen nihil movemur. Bellarmino enim Tiletanum Tridentini Concilii Theologum hic præferimus, qui exemplo S. Ioannis Eleemosynarii absq; ulla conjectura hanc veritatem adstruit; teste enim Leontio cum hic præsul Sanctissimus intellexisset populum templo esse egressum & in cæmeterio otiosis vacare fabellis, ipse quoq; æde sacra egressus justâ indignatione commotus hæc inter alia dixisse fertur: *Ego propter vos descendi in sanctā Ecclesiam: nam poteram MIHI FACERE MISSAS IN EPISCOPIO.* Hoc exemplum non elidet Chamier, dicendo habuisse Episcopum familiam, qua cum communicaret, se enim solum opponit cui litare potuisset. Et licet in græca Ecclesia constans fuerit ritus ut sacerdoti sacrificanti Diaconus ministraret & cum illo corpus dominicū participaret, qui mos etiam in Latina Ecclesia oppidò frequens olim erat: Tamen sub nullius præcepti rigore in Latina vel Græca Ecclesia unquam obtinuit. Colligitur Primum ex eo quia in tot Synodis orientalibus ne apex est qui huiusmodi præceptum sonet. Secundum verò, patet ex praxi Ecclesiæ Africanæ quam recenset S. Augustinus lib. XII. de C. D. cap VIII. ubi signanter refert, unum è presbyteris suis sacrificium obtulisse in domo rustica, liberanda à malignorum Spirituum vexatione. Finis ergo huius celebrationis non erat communicandi rusticum sed liberandi domum rustici ab infestatione spectrorum. Clarius adhuc evincitur ex decreto Concilii Toletani XII. ubi districtè sacerdoti sacrificanti injungitur ut quoties corpus & sanguinem in altari immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis Domini nostri, participem SE præbeat. De ministro autem vel aliis adstantibus communicandis nullum extat præceptum.

Accedit his omnibus ratio ipsorum Protestantium hypothesi subnixa ac proinde

inde ad illos in nostram sententiam pertrahendos efficacissima:

Prima.

Quod nec Christus nec Apostoli in Scriptura alicubi præceperunt, hoc sine piaculo omitti potest.

Atqui nec Christus nec Apostoli ullibi in Scriptura præceperunt, ut toties quoties panem frangimus vel calici benedictionis benedicimus (uno verbo, sacrificamus) toties præter nos, alios communicare debeamus. Ergo.

Major adeo vera est, ut ex Protestantium opinione sit piaculum si aliquid non præceptum hac in parte pergatur.

Minoris probatio patet ex dilutione Argumentorum quæ pro evincendo hoc præcepto in medium proferunt adversarij:

1. Argt. Missa in qua præter conficientem nemo communicat, est contra institutionem Christi. Talis & missa privata. Ergo.

℞. Major fallit & est falsa. Quamvis enim in solemni illa verè collegiali missa, quam præsentibus duodecim Apostolis Christus ipse in cœna novissima celebravit, Apostolos jusserit edere & bibere; Ex hoc tamē non magis inferri potest præceptum communicandi laicos quàm præceptum consecrationis hos tales obligans.

Ratio est, quia illi quos Christus his verbis alloquitur, locum conficientium sacerdotum tenebant; Eos namque eo ipso tempore novæ legis constituit sacerdotes,

 cerdotes,

sacerdotes, quando novam novæ legis oblationem illos docuit;

Si Christus Apostolis injunxisset reliquos discipulos ex eodem pane & vino sacrato communicare, aliquam profectò speciem haberet hæc argutatio; quia verò hujuscemodi mandati in toto contextu nec vola nec vestigium apparet, non magis præceptum communicandi in qualibet missa, quam communicandi sub utraque specie hinc elicitur. Et quis ferat à Sacramentariis Christi institutionem hic tantopere urgeri, à quibus aliâs tam flagitiosè violatur. Continet Institutio Eucharistiæ tria, *consecrationem*, *oblationem*, *participationem*, duo priora sunt de ipsa mysterii huius substantia & ijsdem verbis Christi peraguntur; quatenus enim panis in corpus, & vinum in Christi sanguinem transmutatur, hoc ipso esca potusq; cælestis animabus nostris præparatur. Quatenus verò hæc actio Seorsim fit & corpus Christi ab illius sanguine, & sanguis à corpore dominico quantum est ex vi verborum sistitur, per hoc agnus ille Dei æterno Patri mysterialiter *mactatur & offertur*. Hæc omnia nihili faciunt, novi ac æterni testamenti expilatores, in hoc verò quod nec Sacramenti nec sacrificij substantiam attingit, puta in participatione panis qui solum corporis dominici schema gerat, tam religiosi cupiunt esse observatores. Quis enim credat Chamiero & aliis id communis Sacramentariæ perfidiæ propugnatoribus, quando dicunt se consecrationem retinere; qui in ipsa cænæ suæ administratione totam consecrationis formam à tribus Evangelistis traditam eliminarunt & in ejus locum vel quædam Pauli verba non consecrationem sed distributionem & effectum Sacramenti Eucharistiæ exprimentia surrogant, vel absq; ullorum verborum pronunciatione cænam suis distribuunt? Novimus & nobiscum jam dudum norunt DD. Augustani quam soleant reformati & præsertim in re Sacramentaria ludificare, & nostras phrases, alieno tamen prorsus sensu, passim adhibere. Verè illis præsens est Christi corpus, quod tanto distat intervallo quanto tertium cælũ à superficie terræ. Verè sumitur corpus Christi quod ne quidem primoribus attingitur labellis, sed sola mentis speculatione intellectui objicitur. Eadem ratione integram consecrationem retinent, qui suis Sacramentariis glossematis magis execrabilem quàm sacrum panem illum reddunt, quem suis frangunt.

2. Argumentum ex Ambrosio: Indignus est Domino qui aliter Mysterium celebrat, quàm ab eo traditum est.

Atqui traditum est à Christo ut celebrans non celebret nisi adsint secum communicare volentes,

Ergo.

Ergo.

℟. Quicquid sit de Veritate majoris; negatur minor. Fundamenta negationis ex superius dictis patescunt. Certè ex literis sacris ne apex pro illius assertione proferri poterit. Ipsa sana ratio repugnat. Quotiescunque enim alicuius actionis diversi fines existunt, quorum uterque sufficit ut homo prudenter operetur, toties licitè intuitu alterutrius homo operatur.

E. G. Finis matrimonii duplex est, generatio prolis, & ut sit remedium restinguendi æstum concupiscentiæ. Si posteriorem finem contrahens intendat, nulla vel exigua habita ratione prioris, adhuc honestè contrahit & non peccat. In Eucharistiæ confectione duplex finis attendi potest, cultus seu adoratio Dei annunciatio mortis dominicæ, hic primus est finis. Alter est præparatio cibi Spiritualis quo mens fidelis reficiatur. Si igitur in priori exemplo licuit attendere finem ignobiliorem & abstrahere mentem à nobiliore: cur non potius in hoc posteriori exemplo integrum erit in missione Eucharistica respicere ad nobiliorem, maximè quando non propria sed aliena culpa, alter finis intendi nequit, putà si nullus sit qui possit aut velit communicare? Concludo itaque verbis Tridentini sess. XXII. optaret quidem SS. Synodus (*S. Dei Ecclesia Catholica*) ut in singulis missis fideles adstantes non solùm Spirituali affectu, sed *Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret. nec tamen si id non semper fiat, propterea missas illas, in quibus solus sacerdos Sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat: sed probat atque ADEO COMMENDAT.* Debuit Ecclesia rigorem primitivæ Ecclesiæ de communione quotidiana mitigare in tantùm, ut jam Augustini tempore non nisi exhortatione ad singulis dominicis diebus communicandum, homines, & quidem non nisi tales qui in affectu peccandi non essent, invitabantur apud Gratianum dist. 2. de consecrat. Sic, licet diu in Ecclesia ille mos fuerit, ut Sacerdos peracto sacrificio cum Eucharistiam sumpsisset ad populum qui *aderat*, conversus, his verbis ad sacram mensam invitaret: *venite fratres ad communionem* &c. ut refertur in catech. Rom. Ubi tamen advertit plerumque adstantes ob defectum præviæ dispositionis hanc sacerdotis admonitionem flocci pendere, eam omitti jussit.

Interim non desunt unquam presbyteri nostri hac in parte suo officio, ut etiam in missis, quas vocant, solitariis, communionem porrigant quoties adsunt eam efflagitantes.

Potius itaq; culpandi sunt protestantes nonnulli etiam Augustani in pluribus locis in quibus Eucharistiam non nisi menstruam, alicubi semestralem habent,

imò quod pejus eſt, hoſtiis in nullo actu publico ſeu liturgico ſacratis intra privatos parietes recitatis duntaxat hiſtoricè inſtitutionis dominicæ verbis, ſuos communicant.

Notavi inſuper in magnis urbibus etiã Auguſtanos in publica euchariſtiæ adminiſtratione hoſtias quidẽ omnes ſimul more ſuo ſacrare, nec nõ vinum quod eſt in primis cantharis; quando verò hoc non ſufficit & aliud adfertur, abſque ulla prævia ſanctificatione calici infuſum diſtribuere. Hic ſane abuſus cum hypotheſi ſaniorum Lutheranorum conſiſtere nequit. Si enim conſecratio eſt pars eſſentialis (uti revera eſt) nunquam omitti poteſt nec debet. Hoc itaque & id genus alios abuſus in Sacramentorum adminiſtratione committi ſolitos DD. Auguſtani corrigant, antequam nobiſcum de miſſis, quas vocant, ſolitariis contendant. Certum enim eſt ab iis pacificationis religioſæ ſucceſſum non ita dependere, ut non ſit in facultate totius Eccleſiæ. Proteſtantes in aliis omnibus dogmatis publicè receptis, conſonos ad unionẽ & communionẽ recipere, etiamſi in Eccleſiis ſuis præter ſolennia ſacrificia & tales miſſas, in quibus cum ſacerdote ſaltẽ unus miniſtrans communicaret, ad alias ſuos adſtringi nollent. Quod enim Græcis permittit hoc etiã proteſtantibus indulgere poſſet, dummodo pari fidei ſinceritate Miſſas, in quibus præter conficientem nemo communicat, licitas ac validas eſſe, cum Græcis latiniſque Catholicis crederent.

F. Novitiis Romanæ Eccleſiæ dogmatis accenſet D. Titius *Septenarium Sacramentorum numerum Excluſive ſumptum.*

Probat ex Bellarmini Vaſquetiique confeſſione, qui ambo ingenuè agnoſcant ante Lombardum non fuiſſe ex Patribus qui exertè doceret non eſſe plura vel pauciora quam ſeptem Sacramenta, id quod ſub anathemate credi juſſit Trident. ſeſſ. VII.

℞. Non mirum SS. Patres à Sacramentorum calculatione abſtinuiſſe, quia illorum ætate non erat qui hunc *ſeptenarium* numerum impugnaret, prout à Luthero fieri cæpit ante Trident. Synodum. Ante Dioſcorum & Eutychetem non fuit unquam definitum *Duas in Chriſto eſſe naturas*, aut duas voluntates quod tamen in Chalcedonenſi Synodo poſtmodum factum eſt. Sanè cum hic ſeptenarius Sacramentorum numerus in Scriptura hodie ſaltem, Auguſtanis, Canonica, puta in Apocal. c. V. verſ. 1. 5. ex hypotheſi eorundem ſolidum habeat fundamentum, quippe quibus Sacramenta ferè nihil aliud ſunt quam Sigilla ſeu ſignacula appenſa promiſſionum libro agni ſive S. Scripturæ:

neque

neque inter Auguſtanos de numero Sacramentorum ita planè & planè ſemper convenerit ut non defuerint qui *abſolutionem & ordinationem* in Sacramentorum exquiſitè acceptorum cenſum olim referrent, ut alibi fusè demonſtramus: qua revelatione divina hodie ſint edocti ad *binarium* Sacramentorum numerum tanto fervore aſſerendum, ubi ſufficienter nos erudierint, haud moroſe reluctabimur. Quæ verò contra quinque Sacramenta ſeorſim in medium affert alibi examinamus; Communionem verò ſub una ſpecie novitium Romanæ Eccleſiæ dogma eſſe & quidem poſt quintum ſeculum enatum, quàm ſit falſum, non alio, quàm quod ipſe D. Titius hic ſuppeditat, argumento, refellemus: Leo Papa quem ſeculo quinto vixiſſe nemo negaverit, teſtatur ſuo tempore Manichæos ſanguinem redemptionis declinaſſe Serm. quadrag. IV. Hoc facere non potuerunt niſi abſtinendo à ſumptione calicis. Quî verò potuiſſent facere, ſi nõ omnibus promiſcuè integrũ fuiſſet una vel utraque ſpecie communicare Et quî nova lege opus fuiſſet communionem ſub utraque Manichæis præſcribere, ſi ante jam cunctis præcepta fuiſſet? hanc illationem D. Titius nec unius pili eſſe inde probare conatur, quia nihil ſit frequentius, quam ut lex ante lata, & neglecta repetatur, & ſtrictius inculcetur. Sed nec inſtantia Titiana alicuius pili eſt, quam diu non probaverit legem ab aliquo Pontifice Romano de communione ſub utraque antecedenter latam eſſe. Facile damus verum eſſe quod Petrus à Soto aſſerit, Manichæorum morem fuiſſe contrarium conſuetudini Catholicorum; nec tamen hinc conficiet D. Titius, Catholicorum conſuetudinem non fuiſſe arbitrariam ſed præceptam. Reliqua quæ contra enumerationem peccatorum, ſatisfactionem operum, ignem purgatorium, Indulgentias, cultum Sanctorum, merita operum adjungit, partim jam refutata ſunt, partim ſuo quæque loco, dicentur.

N. VII.

IN CULTU ROMANÆ ECCLESIÆ NULLA COMMITTITUR IDOLOLATRIA.

A.

Non in adoratione venerabilis Sacramenti.

Probatur ex hypotheſi Proteſtantium Auguſtanæ Confeſſionis

nis, qui, teste Titio post Chemnitium, nobis nunquam litem moverunt de carne Christi in sacrâ sumptione adorandâ; Ergo saltem durante communione fas est adorare Christum in Eucharistiâ indistanter præsentem.

Probatur secundò ex aliâ protestantium hypothesi non minus communiter recepta; Cultus Latriæ humanitati Christi propter unionem hypostaticam impendi debet ac potest Hinc sic arguimus:

Si cultus Latriæ ad humanitatem Christi, quæ etiam in sensu composito istius unionis in se est ac manet, creatura, capax est propter unionem cum verbo, ut latria in se colatur; cur non saltem per accidens & respectivè in veneratione SS. Sacramenti ad species seu symbola nostra, se se extendere poterit Latria, quibus totus Christus divinissimo modo connectitur?

Dices, disparitatis ratio hæc est: Quia humanitas Verbo unita, est Deus.

℟. Nego antecedens. Totus Christus rectè dicitur Deus-homo; humanitas autem in abstracto non magis Deus quam Deitas est vel dici potest. Et tamen Christi humanitas etiam distinctè considerata propter subsistentiam quam habet in Verbo & quæ subsistentia realiter à naturâ humana quid diversum est, adorari potest ac debet.

Probatur tertiò ex sensu genuino Ecclesiæ, qui non est alius quàm iste, Christum Deum hominem in mysterijs esse adorandum. Si quis ad species in hac adoratione se nullatenus reflectat, imò apud semetipsum illis Latriæ cultum impartiri positivè detrectet, & in unius Christi adoratione totum suum cultum sistat, contra fidem vel præceptum Ecclesiæ nullatenus peccabit. Colligitur apertè ex verbis Concilii Trident. sess. XIII. cap. 5. in quo tota adorationis causa hæc ponitur; Nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit: psal. 69. Heb. 1. & adorent eum omnes angeli Dei; quem Magi procidentes adoraverunt Matth 2; quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse, scriptura testatur Matth 28.

Ne verò adversarii glorientur nos scripturæ suffragio destitutos ad unius Concilii Tridentini authoritatem confugere, juvat hanc Christi in tremendo altaris mysterio adorationem ex Scripturâ divinâ adversarios æquè ac nos stringente, asserere, eorumq; futilissima argumenta, quæ contra hunc Dei cultum proferre solent, strictim & solidè diluere.

I. Deus.

I. Deut. VI. verſ. 13. Dominum Deum tuum adorabis &c. hoc præceptum nulli loco aut tempori adſtringitur; Ergo ſi non ad ſemper, ſemper ſaltem obligat; Ergo hoc ipſo quod Chriſtus dixit hoc eſſe corpus ſuum, ſuum inquam, qui eſt filius Dei vivi conſubſtantialis Patri, hoc ipſo affirmavit id eſſe adorandum.

Confirmatur ex Ioa. c. IX. verſ. 36. 37. 38. Ubi Chriſtus cæcum à Judæis foras ejectum ſic alloquitur: Tu credis in filium dei? reſpondit ille & dixit: Quis eſt, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jeſus: & vidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt. At ille ait: Credo, Domine: ET PROTINUS ADORAVIT EUM.

Hoc cæco longè cæciores ſunt illi Lutherani, qui credunt, vel ſaltem ſe credere ſimulant, Eum, quem *in*, *cum*, & ſub *pane* præſentem realiter & indiſtanter credunt eſſe, & adeſſe unicum Dei filium ex patre natum ante ſecula, & in temporis plenitudine hominem factum, peccatum produnt adorare cupiunt.

II. 1. Cor. XI. verſ. 29. ait Apoſtolus eos indigne munducare corpus Domini ad iudicium, qui illud non dijudicant. Quid vero ſit dijudicare corpus Domini, S. Auguſtinus, ipſo adverſariorum calculo fideliſſimus ſcripturæ interpres & teſtis explicat tom. 2. Epiſt. 118. ad Ianuarium c. 3. dicens Eos non diiudicare ſeu diſcernere corpus Domini, qui illud non adorant. verba ſic habent: Neuter eorum exhonorat corpus & ſangvinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt.

III Pſalm XXI. verſ. 30. Manducaverunt & adoraverunt omnes divites terræ conf. Pſal. 98. verſ. 5. Adorate ſcabellum pedum eius. Utrumque locum explicatum damus non noſtris, ſed D. Auguſtini verbis; priorem quidem ex tom. 2. Epiſt. 120. ad Honoratum c. 27. ubi per divites terræ ſuperbos corde S. Doctor intelligit, atque ipſi, inquit, adducti ſunt ad menſam Chriſti & accipiunt de corpore & ſangvine eius, ſed adorant tantum non ſaturantur, &c. Et infra: Hac Eccleſiæ dilatatione etiam ſuperbi, id eſt divites terræ adducti ſunt & manducaverunt, & quamvis non ſaturati, tamen adorant. Alterum locum ex Pſ. 98. verſ. 5. Hiſce verbis ediſſerit: Anceps factus ſum, timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cælum & terram. Rurſum timeo non adorare Scabellum pedum Domini mei, quia pſalmus mihi dicit, adorare Scabellum pedum ejus. Quæro, quid ſit Scabellum pedum eius, & dicit mihi Scriptura, terra Sabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Chriſtum,

quia

quia ipsũ quæro hic & invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur Scabellum eius. suscipit enim de terra terram, quia caro de terra est & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne ambulavit, ET IPSAM CARNEM NOBIS MANDUCANDAM AD SALUTEM DEDIT: NEMO AUTEM ILLAM CARNEM MANDUCAT, NISI PRIUS ADORAVERIT, inventum est, quemadmodum adoretur Scabellum pedum Domini & non solùm non peccemus adorando, SED PECCEMUS NON ADORANDO &c. hactenus S. Doctor.

Hæc aliaque meridiano jubare clariora dicta sine dubio convicerunt cætera pervicacissimum Bezam, ut vel invitus fuerit fassus: Constat, inquit, ex Augustino consuevisse illis temporibus fideles Christum IN MYSTERIIS ADORARE; *in Dialog. adversus Heshusium volum. 1. tract. 7. pag 311. juxta edit. anni 15[illegible].*

Quæ in contrarium ab adversarijs obiiciuntur, nullo labore dissolvuntur.

I. Totus Christus non est in Sacramento Eucharistiæ sed duntaxat eius corpus & Sanguis; Ergo non est adorandum hoc Sacramentum.

Resp. Antecedens distinguitur, Non est vi verborum, datur. Non est vi connexionis naturalis & hypostaticæ, ut ubicunque sit corpus, ibi quoque sit sanguis, ubicunq. est anima, ibi quoque hypostasis & divinitas cum hac realiter identificata, negatur Sic distincto antecedente, negatur consequens, juxta definitionem Concilii Ephesini, can. 8. doctrinam S Athanasii Epist. ad Adelphium Episcopum, in qua strenuè contra Arrianos defendit carnem Christi adorandam esse. Fundatur autem hæc doctrina Concilij & S. Athanasij in illo Spiritus S. Oraculo: Omnis Spiritus, qui solvit JESUM, ex Deo non est, & hic est Antichristus 1. Joan. 4. vers. 3.

II. Christus non præcepit adorationem sui in Eucharistiâ; Ergo malè fit.

Resp. Negatur consequentia. Sufficit hoc ipsum jam ante in V. T. fuisse præceptum in Deut. VI. vers. 13. & à Christo in N. T. repetitum, Matth. c. 4. vers. 10.

III. Qui non adorant, habent Apostolorum Exemplum, quos non legimus prostratos adorasse, sed ut erant discumbentes, accepisse & manducasse. Ita ad Verbum Calvinus l. 4. inst. 17. §. sect. 35. cuius contrarium alibi contra Heshusium & Westphalum scripserat.

Resp.

Resp. Hoc argumentum nimis probat, & Arrianiſmum apertè prodit; Quis enim niſi talis negaverit Chriſtum in propria perſona viſibiliter accumbentem à Diſcipulis adoratum fuiſſe. Ubi etiam legit Calvinus Diſcipulos truncorum adinſtar panem verbo carnem factum ſine aliqua etiam exterioris adorationis interrioris indice accepiſſe? Quis credat Petrum, qui videns ſe copioſam piſcium multitudinem à Chriſto impetraſſe ad genua J E S u procidit, Luc. 5. verſ. 8. ſumpto Dominici Corporis ac ſangvinis pignore, immotum & abſque ulla Exterioris venerationis exhibitione accepiſſe?

Taceo, ipſum morem accumbendi à prophana Sacramentariorum ſeſſione, ſtatione, aut, quæ in Germaniæ noſtræ locis benè multis obtinet, circumgiratione, Longè magis, quàm à genuflexione Catholicorum & melioris notæ Proteſtantium diſcrepare. Videatur Ciaconus tract. de triclinio.

IV. Tempore Apoſtolorum fideles non in *Adoratione*, ſed in fractione panis perſeveraſſe à S. Luca narratur Act. c. 2. verſ. 42.

R.^tur Negatur antecedens ſecundum priorem partem. Verba Lucæ ſic ſonant: Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis, & orationibus: Verba autem: non in *adoratione* de ſuo inſeruit ſcripturæ adulterator Calvinus. Illa verò: In doctrinâ Apoſtolorum &c. & orationibus &c. Studioſè omiſit, probè namque ſciebat Apoſtolos ea docuiſſe, quæ illis præſcripſerat Chriſtus, inter quæ erat illud palmarium mandatum Matth. cap. IV. verſ. 10. Deum tuum ADORABIS.

V. Quicquid ſit de adoratione Chriſti in Euchariſtiæ USU: ſaltem illa, quæ extra USUM peragitur, quando in Tabernaculo repoſitum eſt dum ad ægros per plateam defertur, & quoties aliàs per campos, urbes, vel pagos ad pompam circumgeſtatur, idololatrica eſt.

R.^tur Diſtinguo antecedens: ſi adoretur Euchariſtia extra omnem USUM Communionis Euchariſtiæ tam *actualem*, quàm *aptitudinalem*, tranſeat antecedens, valeatque apud ſuos, quantum poteſt. Si adoratur extra USUM actualem, negatur. Dum enim in Tabernaculo aſſervatur, hoc ipſo USUI Communionis deſtinatur. Majores etiam Hoſtiæ, Quæ in Proceſſionibus circumferuntur, ſuo quoque tempore ad unum omnes animo illas tandem ſumendi, conſecrantur.

VI. Cultus adorationis in N. T. juxta Christi asseverationem Joan. IV. vers. 23. fieri debet ad Patrem in Spiritu & veritate. Ergo non externa & theatrali pompâ.

℞.tur Negatur sequela. Ipsa enim adoratio, quæ fit exterioribus gestibus corporis, supponit & testatur adorationem Dei internam in Spiritu & veritate, sicut econtra omissio omnis reverentiæ apertè prodit Spiritum Sacramentariorum, negantem veritatem præsentiæ Corporis Christi, imò ipsius Christi Dei hominis in Eucharistiâ.

VIII. Catholici jubentur adorare non tantùm Christum, SED TOTVM SACRAMENTVM, prout etiam faciunt, juxta illud: Tantum ergò Sacramentum Veneremur cernui &c.

Atqui Sacramentum constat non tantùm substantiâ Corporis Christi, sed etiam substantiâ panis & vini. Ergo si totum adoratur Sacramentum, etiam panis & vinum adoratur.

℞.tur Negatur minor. Ratio negationis ex superabundanti assignatur, & hac apodixi demonstratur. Christus apertè dixit de eo quod dedit Discipulis suis: Hoc est Corpus meum. Ergo illud non erat nisi Corpus Christi. Ergo non panis. Implicat enim disparatum de disparato identicè prædicari. Unde ipse Calvinus lib. de cœnâ Domini, Anno M.D.LIX, contra Westphalum publicè confessus est, retineri non posse reipsâ τὸ ῥητὸν in his verbis Christi Hoc est corpus meum &c. quin transsubstantiatio Papistica statuatur.

Dices: Esto Sacramentum non includere substantiam panis, involvit tamen accidentia, quæ nec sunt Corpus Christi, nec aliquid aliud Christi. Ergo non adorabilia.

℞.tur Transeat totum; quia accidentia esse de ratione Eucharistiæ seu Sacramenti quatenus est adorabile non est veritas Catholica, sed quæstio Scholastica. Vid. sup. sufficit Catholico, si credat Sacramentum esse adorabile, quatenus est corpus & sanguis Christi Dei hominis, suo tamen modo etiam in speciebus exterioribus gloriæ Dominum velantibus, Venerabile.

B.

B.

Non in veneratione *SS.* Imaginum.

IN nulla re apertius idolomaniam, quàm in imaginum cultu religioso committi, adeò firmiter sibi persuadent plures protestantium, ut id à quoquam nostrum, sine fronte perfrictâ, negari vel refutari posse, impossibile existiment. Sed revera in nulla re stupor & maledicentiæ furor Protestantium nonnullorum magis apertè, quàm in hac re, se prodit;

Vel enim

a. Sententiam nostram catholicam de cultu Imaginum non tangunt, sed quorundam Scholasticorum placita, quæ nemo Catholicorum præstare tenetur, Cum Ecclesiæ sententia turpiter confundunt.

Legitimus imaginum usus, ut loquitur Tridentina Synodus, sess. xxv. decreto de sacris imaginibus ita totius Ecclesiæ mentem explicat:

Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum SS. in templis præsertim habendas & retinendas, eisque DEBITVM HONOREM ET VENERATIONEM impertiendam, NON QVOD CREDATVR INESSE ALIQVA IN IN IIS DIVINITAS, VEL VIRTVS, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, VEL QUOD FIDVCIA IN IMAGINIBVS SIT FIGENDA, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant.

b. Si verò Praxin sugillant, noverint non ex vulgi ad superstitionem proclivis moribus, sed ex Ecclesiæ præscriptis legibus de cultus imaginum probitate vel excessu statuendum. Audiant Ecclesiam in Oecumenico Concilio suam suorumque fidelium sanam mentem ita proponentem:

Per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus CHRISTVM ADORAMUS, & SANCTOS quorum illæ similitudinem gerunt, VENERAMVR.

Nemo inter nos, inquiunt Patres in Synodo Provinciali Petricoviensi in Explicat. præcepti I. cap. LXXVII. tam est lapis, ut lapidibus & lignis inesse putet sensum &c.

Quàm sollicitè etiam Patres in Synodo Provinciali Moguntinâ sub Sebastia-

no felicis recordationis Archipræsule superstitiosis popelli rudioris actionibus præcaverit, ex sequenti illius decreto, cap. XLII. patescit: Omnibus locorum ordinariis injungimus, ut si fortè in territoriis suis, ad imaginem aliquam concursus fieri, & homines ad IPSIUS IMAGINIS FIGURAM RESPECTUM HABERE, & quasi quandam DIVINITATIS OPINIONEM ILLI TRIBVERE, animadverterint: ipsam imaginem (adhibitis prius in concilium Theologis & Christianarum antiquitatum scientissimis juxta ac pientissimis viris) pro causæ qualitate, aut mutent, & aliam à prima notabili quantitate differentem reponant, NE RUDIS POPULUS, in intellectu suo depressus, & ideò per media corporalia ad divina erigendus, SPEM SUAM CONTRA ECCLESIÆ INTENTIONEN in corporali, & quidem CERTA IMAGINE, privatâ phantasia atque inhæsione collocet: quasi in illâ sit QVÆDAM NECESSITAS, ut per eam & NON ALITER, inducatur Deus & sancti id facere, quod petuntur.

Dices: Quotidiana praxis testatur non tantum rude vulgus, sed etiam viros doctos & cætera prudentes inter Catholicos IN CERTIS QUIBUSDAM IMAGINIBVS non tantum Crucifixi, sed & aliorum quorundam Sanctorum & præprimis Deiparæ Virginis spem magnam ponere. Talis est imago Deiparæ Eremitana apud Helvetos, Sichemensis in Brabantia. Carnotensis in Galliâ. Monserratensis in Hispaniâ. Lauretana in Italia. Oetingensis & Passaviensis in Bavaria. Cellensis in Austria. Spirensis, Wormatiensis, Moguntina ad gradus, in Austrasiâ. Tiranensis in Valle Tellina. Brennensis in Dalmatia. Culmensis in Boëmia. Crestochoviana in Polonia, Czczereana in Litivania, & aliæ non paucæ ad quas passim confluunt, sibique salutem animæ & corporis exinde pollicentur.

Resp. Peregrinationes supplicationesque Catholicorum quorumcunque non arguunt neque evincunt fiduciam fixam in ipsâ imagine, ad quam proficiscuntur, sed IN VOLVNTATE SANCTISSIMA Dei ter Opt. Maximi volentis potius ad talem quàm aliam imaginem Salvatoris Crucifixi vel Deiparæ Virginis, aut alterius cuiusdam Cælitis omnipotentiæ suæ vim exserere, id quod ex Miraculorum ibidem patratorum excellentia & frequentia haud imprudenter colligunt; neque tamen propterea vel minimum huius divinæ virtutis imagini ad quā orationis causa itinerantur inesse arbitrantur. Cultus quidem Deo coram illa imagine, penes quam ille mirabilia magna solus facit, exhibetur divinus: ipsi imagini verò reverentia longè inferior non

absi-

absimilis illi, quam exhibebat David gladio, quo amputaverat caput Goliath. I. Reg. cap. xi. vers. 9. vel illi quam protestantium non pauci in Germania & Anglia aliisque Provinciis Augustanæ Confessioni sincerè addictis symbolis Eucharist cis exhibere non dubitant.

Non negamus tamen à rudiori popello in ornandis & colendis imaginibus eũ modũ non semper servari, quem Ecclesiæ Pastores & Doctores præscribunt. Sunt qui illis vestes æstivales hyemalesque procurant & omnem sæculi vanitatem in sacris imaginibus ornandis imitantur.

Hoc præter Ecclesiæ voluntatem fieri patet ex bullâ Vrbani VIII. qui statuas vestiri prohibuit. Cui inhærentes plures Episcopi per suos vestibus huiusce-modi statuas exuerunt. Prout in visitatione ultimâ huius nostræ Archidiæcesis Moguntinæ ad indignationem usque ruricolarum factum fuisse constat. Omnem calumniandi materiam tollunt publicæ Catholicorum Protestationes quæ passim in templis nostris prostant. Moguntiæ in æde Metropolitana supra imaginem Crucifixi hic legitur versus;

Effigiem Christi dum transis semper honora;
Non tamen Effigiem, sed quem designat, adora.

In oppido Austriaco Steinach ad Danubium teste Saurio Lutherano in libro civitatensi ad statuam Crucifixi hi rythmi Extant.

Die Bildnuß ist GOtt selber nit/
Er wird allein bedeut damit/
Diß Bild sih an/ und richt dein Sinn
An den / der wird bedeut darinn.

Alii accendunt candelas ſole ſplendente imaginibus, & hoc quidem eo fine, ut tantò acutius cernant. Quis hoc à ſuperſtitionis vitio immune eſſe dixerit? Si tamen fiat ad teſtificandum ardorem illum charitatis, quo in cælis erga nos flagrant, & ad declarandum ſplendorem Sanctitatis, quo in omnem æternitatem fulgent, laudatur meritò cum SS, Eccleſia.

C

Multò minus Idololatriæ crimen committitur in invocatione ſanctorum,

CVius ſanè calumniæ ingenuos Proteſtantes pudere debet, quia ab omnium peſſimis hæreticis, videlicet Manichæis primùm conficta & Catholicis impacta eſt. Hoc ex S. Auguſtino lib 20, contra Manichæum cap. 4. tom. jam ſuperiori ſeculo graviſſimus Theologus & nobile Conc, Trident. membrum Ioannes Heſſellius Lovanienſis Profeſſor lib. de invocatione Sanctorum c, 22. Hisce Manichæorum verbis recenſet: Sacrificia gentilium vertiſtis in agapes, IDOLA IN MARTYRES, QVOS VOTIS SIMILIBVS COLITIS: defunctorum umbras VINO PLACATIS ET DAPIBUS: Solennes Gentilium dies cum illis celebratis; Eandem calumniam de Catholicis ſparſerunt Euſtathiani, quos idcirco Synnodus Gangrenſis can. xx. anathematizavit his verbis: Siquis ſuperbiæ affectu utens conventus abominatur, qui ad confeſſiones martyrum celebrantur, & miniſteria quæ in eis fiunt ſimul cum eorum memoriis execratur, anathema ſit. Neq; ſine ratione pro cultu & invocatione ſanctorum ita concluſerunt; Nam invocatio Sanctorum ab idololatriæ crimine immunis eſt; quia

a. Homines Sancti in terris nobiſcum à Domino adhuc peregrinantes, ex ipſorum proteſtantium hypotheſi utiliter & ſine omni periculo idololatriæ invocantur; Cur ergo non æquè, ubi in fata conceſsère, & poſtquam huius vitæ periculoſum pelagus trajecerunt, Aeternitatisque beatificæ portum attigerunt, invocari debent?

Dices: Invocatio Sanctorum ſupponit Sanctorum *omniſcientiam*, qua ſolus Deus pollet: Ergo eſt idololatrica.

℞. Nego antecedens. *Omniſcientia*, qua Deus ſolus pollet, eſt increata, infini-

infinita à nullo alio communicata. Faciamus nunc aliquem Sanctorum habere omnium rerum creatarum notitiam, quali sine dubio prædita est humanitas Christi vi unionis hypostaticæ; non tamen hæc omniscientia est divina, sed communicata à verbo & in hominem Christum redundans; Sed ne talem quidem omniscientiam invocatio supponit sed ad summum Scientiam eius rei propter quam compellantur sancti, quos deprecatores apud Deum adhibemus.

Qualiter verò & unde Cælites eam notitiam habeant, quæstio est in scholis Theologicis discutienda, non hic determinando. De fide Catholicâ certum est illos esse in statu omnium bonorum aggregatione perfecto, cui sine dubio nullam earum perfectionum, quibus sanctos adhuc mortales divina bonitas in terris cumulavit, & quæ nihil imperfectionis involvnt, deesse permittet.

Conamur equidē ex recentioribus adversariis nonnulli vim & nervum huius apodixeos Catholicæ incidere distinctiunculâ aliquâ, quam faciunt inter perfectiones ordinarias & extraordinarias Sanctorum Viatorum; illas, non has ad unum omnes sanctis in patriâ existentibus deberi asserentes: ac proinde, licet Samuel, Elisæus, Daniel, Paulus aliiq; in terris extraordinario aliquo dono animos hominum, res etiam ab aliis procul distantibus perpetratas, vel in se obscuras noverint, non hinc confici: Ergo omnes Cælites huiuscemodi notitiâ, & quidem longè excellentiori gaudere. Hac, inquam, distinctiancula argumentum catholicum nec eliditur neque eluditur, sed in suo robore permanet; quia Beatitudo *includit* omne bonum, ac proinde omnem etiam perfectionem *simpliciter simplicem* Si non graduum saltem partium, qua *Excluditur* omnis imperfectio cum illâ felicitate pugnans, qualis indubiè esset ignorantia status eorum, quos diligunt & adiutos cupiunt.

Adde huius distinctionis alteram partem manifesta instantiâ refelli. Fides enim est perfectio ordinaria & necessaria omnibus sanctis in via: nulli autem in patriâ actu competens. Econtra donum cognitionis Dei intuitivæ est extraordinarium, & non datur nisi valdè paucis in vitâ, & non nisi ad modum *actus transeuntis*, ut loquuntur Theologi. Ergo ruit etiam hac in parte distinctionis *aries*, quo Sanctorum polygnosian invertere conatur Crocius, primus huius effugii auinventor.

Dices secundò: Sanctorum invocatio supponit fidem in Sanctos. Ergo est idolo

idololatrica. Antecedens patet ex verbis Apoſtoli Rom. X. Quomodo invocabunt eum in quem non crediderunt. Ergo ex mente Apoſtoli perpetuus eſt nexus fidei & cultus invocatorii; Si igitur cultus fidei ad latriam referendus eſt, nulli Sanctorum ſine piaculo idololatriæ attribui debet.

℞. Firmiter credimus & nullatenus dubitamus in unum Deum eſſe credendum; neque nobis vel noſtris permittimus, ut in ULLum Sanctorum credamus; Credimus Sanctorum communionem, in Sanctorum aliquem nemo credit Catholicus. Fides itàque, quam Sanctorum invocatio ſupponit, nòn eſt in Sanctos, ſed de Sanctis h. e. ut rem apertius edisſeram

Qui Sanctum invocat, credere, piè ſaltem, debet

1. Eſſe talem Sanctum.
2. Utiliter illum invocari de fide Catholica certum eſt.

b. Invocatio etiam, qua Sanctos compellamus, ab eâ qua Deum imploramus toto cœlo differt. Invocamus Deum cùm fide in Deum tanquã authorem & largitorem omnis illius boni, quod nobis optamus & efflagitamus. Deum invocamus in fide, quæ indubitanter agnoſcit illius ſupremam maieſtatem, potentiam & imperium in nos ceu ſervulos ac filios ancillam ſuarum Sanctos invocamus cum fide, quod ſint deprecatores & intercesſores noſtri, & quod illorum ad Deum deprecatio aſſidua multùm valeat. quod ſint nimis honorati amici Dei, Deusq; in illis glorificandus Quid hic, quæſo, latet idololatrici? Utinam quam plures proteſtantium in ſuo, quem Luthero aliisque primis ſectæ ſuæ authoribus attribuunt, cultu, æquè procul ab Idololatriæ crimine abeſſent! Sanè in non paucos illorum ſcribere poſſim illud, quod in ſui temporis ſectarios ſcripſit Hieronymus, pro Chriſto adorant Antichriſtum; Et quod Manichæis exprobrabat D. Auguſtinus: falſum vobis finxiſtis Chriſtum *non manu fabrili, ſed corde perverſo.*

Dicit Lutherus: quod ego doceo, Dei verbũ eſt, Evangeliũ eſt purũ: ſtatim adoratur, & coram hoc idolo ſe incurvat novitatis amore pruriens hominum intellectus. Quam hæc eſt horrenda idololatria ex unico homuncione fugitivo monacho talem Deaſtrum ſculpere, qui magis ſit ab omni erroris periculo immunis, quàm totus orbis Chriſtianus per mille & quingentos annos?

Sed

Sed hæc sufficiat digito attigisse; Speramus enim meliora hodie de plurimis genuinis protestantibus, qui licet factiosum illud Lutheranorum nomen necdum penitus abhorreant, paulatim tamē Lutheri hominis revera leviculi authoritatem floci pedunt, & ingenuè fatetur, se illi nec cadere nec stare velle amplius. Nos cum Hipponensi Præsule concludimus: Nobis Martyres (Confessores & alii Sancti) non sunt Dii: quia unum eundemque Deum & nostrum scimus & Martyrum. lib. 22. de Civit. Dei, c. 10. tom.

D.

OMnium minimè cultus quo Pontificem Romanum prosequimur, idololatricus esse probabitur. Elogia hyperbolica quorundam Canonistarum & Curialistarum ipsimet Pontifices vel rident vel non vident. Nobis Papa nequidem Vice Deus est: vices tamen Christi Dei Filii, quem Pater caput dedit super omnē ecclesiā, in his terris agit Nam in eo Petrus pascit oves, quas benedictus Dei filius sanguine suo mercatus est Quod reges & principes ad illius pedes se prosternant, in hoc summam illam potestatem, quam divinitus acceptam in illorum utpote Christianorum animas exercere potest, recognoscunt, & vaticinii illius adimpletionem testantur quod ipsimet protestantes passim prosta:ûs Ecclesiæ, sub lege gratiæ, gloria amplificanda allegant ex Esai. c. XLIX. vers. 23. Erunt reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ: VULTU IN TERRAM DEMISSO ADORABUNT TE, & pulverem PEDUM TUORUM LINGENT. Vide Thomam Bozium tom. 1. de signis Ecclesiæ signo LXVIII. Splendor autem & majestas, quam Pontifex præ se fert vel in divinis peragendis, vel quando pro tribunali negotia Ecclesiæ dijudicat, aut dum se suis subditis ceu Principem nullo regum inferiorem exhibet, nullam divinitatis affectationem magis arguit quam in Pontifice Aaronico V. T. vel in regibus & imperatoribus etiam Christianis, qui in pompa nulli Pontificum cedunt.

N. VIII.

IN REGIMINE ROMANÆ ECCLESIÆ NULLA VIGET TYRANNIS.

A.

Non in ſupremo & univerſali Paſtoratu SVMMI PONTIFICIS.

PRobatur 1. ex hypotheſi eorum Proteſtantium, qui Petro ſaltem hujuſcemodi paſtoratum à Chriſto fuiſſe collatum & ab eo exercitum non diffitentur.

Talis fuit Rex Angliæ Jacobus in ſuâ præfat monitoria, in qua ultro largitur: Sit, inquit, per me licet Epiſcopus Romanus, PRIMVS EPISCOPVS INTER OMNES EPISCOPOS, ſed eo ſenſu EPISCOPORVM PRINCEPS, quo Petrus APOSTOLORVM PRINCEPS fuit, &c. pag. mihi 61.

Fortius adhuc idipſum probatur contra Græcos Schiſmaticos, qui ingenuè agnoſcunt ideò Eccleſias Patriarchales cæteris ſupereminere, quia Petrus totius Eccleſiæ caput à Chriſto ipſo præfectus, in illis aliquamdiu præſederit. Fatentur ergo Petrum fuiſſe toti Eccleſiæ præfectum. Ergo illa præfectura non infert tyrannidem, niſi velint dicere, Chriſtum tyrannidem invexiſſe.

2. Probatur ex naturâ Monarchiæ abſtrahendo ab Eccleſiaſtica vel ſæculari; Licet enim in ſententia S. Thomæ 1. 2. q. 105. a. 1. ad 2. h. v. Regnum (optimum regimen populi, ſi non corrumpatur:) propter magnam Poteſtatem, quæ regi conceditur, de facili degeneret in tyrannidem &c. & ex monarcha facilè fieri poſſit tyrannus; non tamen hoc magis per ſe & ex naturâ monarchiæ provenit, quàm ex alio quovis regendi modo. Imò ſub Ariſtocratia peræquè irrepere poteſt tyrannis, & quidem priori longè intolerabilior; quia & eſt ordinariè diuturnior, & propter multitudinẽ tyranniſantium moleſtior. Gravis olim erat ſub Henrico VIII. Angliæ Rege tyrannis; Longè gravior ſub Cromvvelio, qui cum ſuo latrocinante Pſeudoparlamento non tantùm regios, ſed etiam populares ita exhauſit, ut tandem coacti fuerint Legitimum ſuum Dominum revocare. Ergo monarchicus regendi modus non magis quàm ariſtocraticus ſua natura tyrannidem invehit.

DICES I. Tyrannis eſt uſurpare imperium nec à Deo nec ab hominibus collatum, ſed aſtu vel vi arreptum; Atqui Pontifex jam à tot ſæculis ſibi arro-

gat

gat & exercet imperium nec à Christo nec à populo Christiano vniversim collatum; Ergo.

Resp. Transeat major. Minor tam diu ceu calumniosa reijcitur, donec à Protestantibus evidentibus & convincentibus rationibus ad oculum demonstretur. Neque Pontificis est probare titulum suæ monarchiæ, quam etiam ex hostium confessione jam à mille & ducentis annis notoriè in Ecclesiâ exercuit, & in cuius exercitii possessione quietissimâ usque ad Lutheri Schisma perstitit, ut ex nostris DD. wallenburgii post Veronium part. 2. c. 2. methodi August. Edit. tert. nervosè demonstrârunt. Ex superabundanti verò nostratium alii illum ex S. Literis, traditione divinâ & Conciliorum sanctionibus asserunt, quos inter eminent Eminantissimus Bellarminus omnis Polemicæ eruditionis promus & condus.

Dices 2. Demus Pontificem non quidem tyrannum esse ratione adeptionis sui Monarchici in Ecclesiam imperii, est tamen ratione Exercitii illius Legem enim à Christo Matth. xx vers. 25 Marc. x. vers. Luc. xxii. vers. 25. Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, *vos autem non sic* &c. transgreditur; & à documento primi Romanæ Cathedræ fundatoris D. Petri 1. Epist. c. v. vers. 3. Neque ut Dominantes in clero, procul discedit.

Huic objectioni, quam adversarii identidem oggerunt, accuratè satisfaciendum & probè distinguendum est *inter dominatum* quem exercet Pontifex, non quà Pontifex, sed quà Dominus temporalis illarum ditionum, quas Cæsarum Romanorum Constantini, Pipini, Caroli M. & aliorum liberalitate & donatione possidet; si in hoc dominatu ad morem aliorum regum & principum Christianorum, gentilium rigorem & fastum erga subditos exerceat, & ea quæ Christus in his verbis, Bullingero teste, in administratione Magistratus sæcularis correcta volebat subinde non attendat, non propterea magis quàm alii Christiani Magistratus pro tyranno habendus est. Sacrum verò imperium quod à Christo in Ecclesiam obtinuit, cùm sit legibus finitum & ad communem Ecclesiæ ædificationem, & eorum potius quibus imperatur, quàm eius qui imperat, utilitatem ac salutem respiciat, puta unitatem Spiritus in vinculo pacis, & ne sint schismata, & in fidei rebus sensus atque sententiæ contrariæ : nemo jure tyrannidem vocaverit.

Externus fastus, ut nonullis videtur, non mox infert tyrannidem, nisi omnes hodie reges hac nota quis inustos velit. Modum gubernandi, quo pontifex in

factis utitur, qui penitus introſpexerunt, ſatis norunt, quàm ſit ab omni tyrannide diverſus. Lutherus tyrannum agebat, quando totius Eccleſiæ reformationem ſibi arrogabat, leges interpretandi Scripturas non admittebat Mille Cyprianis Auguſtiniſq; ſeſe præferebat, & Eccleſiæ ſupremũ rectorẽ unà cum univerſis Epiſcopis in aſinorũ cenſum referebat. Papa verò in ſuis definitionibus declarationibus, & vel maximè in SS. Literarum interpretationibus ſeſe œcumenicorũ conciliorum Sanctionibus & Prædeceſſorum ſuorum ſcriptis tum etiam SS. Patrũ unanimi conſenſui in fidei quæſtionibus terminandis adſtrictum ſe eſſe ingenuè & conſtanter hucuſq; etiam in praxi profeſſus eſt. A quo tramite, ſi quis fortè Pontifex deflecteret. & cæco auſu quid definiret, hoc ipſo ut Pontifex egiſſe, à nullo Catholico præſumeretur.

Dices 3. Pontifex tyrannidem exercet in Proteſtantibus perſequendis, etiam armis corporalibus; Reges enim & Principes eorum non modo excommunicat, ſed etiam quantum in ſe eſt, ſuis regnis & ditionibus exuit, ſubditos à fidelitatis Sacramento, quo illis ſunt adſtricti, abſolvit; ſæpè etiam per ſiccarios vitã illis eripit.

Reſp. Multiplex accuſatio, ſed valdè ſimplex imò nulla probatio.

Eſto Papa unus vel alter eouſq; proceſſerit, ut Reges vel principes heterodoxos ſuis etiam temporalibus dominiis propter hæreſin vel Schiſma privare intenderit, an hoc aliis pontificibus ad unum omnibus præiudicabit? Quis Papa unquam definivit ſphærã ſuæ poteſtatis eouſque ſeſe extendere? non huius mundi, ſed regni cæleſtis hæreditate perduelles Petrus Petriq; ſucceſſores privare ſolent.

Inſtabis Abſolutio ſubditorum à juramento fidelitatis, quo principibus ſuis ſunt adſtricti, quid aliud eſt, quàm evidentiſſimum Papalis tyrannidis ſpecimen:

Reſp. Quamvis Petro & in Petri ſucceſſoribus dictum ſit: quodcunque SOLVERIS SVPER TERRAM, erit ſolutum & in cœlis, Matth. XVI, verſ. 19. non tamen hoc crudè & vagè, ſed cum ordine ad debitum Eccleſiæ concredendæ regimen intelligi debet. Unde in confeſſo apud omnes Catholicos eſt, non poſſe Pontificem ſolvere vincula juris divini, aut naturalis, manente eadem materiâ legis, neque poſſe Pontificem relaxare juramentum, cum præjudicio eius, cujus intereſt, & qui jus habet ad exigendum tale juramentum. Quando verò Pontifex ſubditos à juramento fidelitatis abſolvit quod nunquam facere debet niſi graviſſimis ex cauſis & non niſi in ordine ad finem Spiritualem

tualem, tum etiam Dominum suo Dominio propriâ suâ culpâ privatum esse de-declarat. A juramentis autem quæ fidei divinæ apertè præjudicant regibus præstandis dehortari debet Pontifex omnes Christi fideles, eisque strictè præcipere, ne ullo modo illa præstent. Quale fuisse Jacobi Angliæ Regis, quod à subditis suis exigebat, Paulus Papa V. duobus rescriptis seu Brevibus declaravit. Non tamen hæc Papæ declaratio vel Cardinalis Bellarmini prolixa remonstratio efficere potuit, ut non plures ex Catholicis & inter illos Georgius Blackuellus Angliæ Archypresbiter illud præstiterint, maximè postquam Rex publicè declaravit quod per hoc iuramentum non intenderet subditos suos cogere ad eiurandum summi Pontificis primatum vel jurisdictionem Ecclesiasticam. Nolim tamen ego propterea hoc Blackuelis factum hic justificare cum fuerit contra mandatum expressum summi Pastoris, cui ipse potius quam arbitratui proprio morem gerere debuisset.

Denique urgebis Pontificis instigatione jussuque Plures reges ac principes esse interemptos. Multa item hominum millia in Galliis, Hispaniis, Italia, Belgio, Germaniaque esse diris cruciatibus interempta, & hodieque Inquisitionis officium in dominiis Hispanicis & Papalibus vigere.

Resp. Contra regicidium sollemnis extat protestatio Cardinalis Bellarmini in Epistolâ paulo ante laudatâ; Neque enim, inquit, auditum est unquam ad initio nascentis Ecclesiæ, usque ad hæc nostra tempora, QUOD ULLVS PONTIFEX MAXIMVS ULLVM quamvis hæreticum, quamvis Ethnicum, quamvis persecutorem (Regem) CÆDI MANDAVERIT, aut cædem fortè ab aliquo patratam PROBAVERIT. in Anglia Mariam Scotiæ reginam odio religionis esse capite plexam nemo nescit. Novissimè decollato Carolo Britaniæ Regi meditatæ defectionis ad Papatum crimen à magno illo latrone Cromwellio & complicibus fuisse impactum quis ignorat? Et quo titulo nisi religionis pontificiæ regni Suæciæ proceres Sigismundum natiuum suum regem regno excluserunt? Belgii fœderati ordines simili prætextu se in eam, quam hodie possident, libertatem asseruerunt.

Quod verò alii inferioris conditionis homines magno numero extremo supplicio propter desertam fidem Catholicam affecti fuerint, non diffitemur, sed neq; modū agendi illū promiscuè in omnibus probamus. Sed audiat orbis Christianus, quid gloriosus martyr Ed mundus Campianus, Generali suo scripserit ex Angliâ: de suis martyribus (Calvinicolæ in Angliâ) jam tacent. Superamus enim causa, numero, dignitate, opinione omnium. Afferimus pro

aliquot apostatis aut sutoribus exustis: Episcopos, regulos, Equites, antiquissimam nobilitatem, spectacula doctrinæ, probitatis, prudentiæ, lectissimam juventutem, matronas illustres, reliquos fortunæ mediocris PLANE EXTRA NUMERUM. Certâ jam anno superioris seculi LXXXIX. Cardinalis unus, Archiepiscopi tres, Episcopi consecrati XIV. Episcopi electi III. Priores religiosi IV. Decani cathedrales XIII. Archidiaconi XIV. Canonici cathedrales LX. Sacerdotes maximâ ex parte illustri ac nobili loco nati CCCL. Ex laicis Regina una, Comites VIII. Barones totidem, Equestris ordinis XX. Plebeii ex utroque sexu ferè innumeri ob fidem avitam & catholicam in Anglia sola trucidati fuère; historias prolixè recenset tractatus inscriptus *Concertatio Ecclesiæ Anglicanæ* Treviris per Henricum Bock impressus eodem anno 1589.

His si addantur ex theatro crudelitatis Calvinisticæ nomina eorum qui in Galliis, Belgio, Germania, Suecia & alibi ob fidem Romanæ Ecclesiæ vitâ exuti sunt, erit turba magna, quam dinumerare nemo poterit. Hodie nemo certius de Romanæ erga protestantes Ecclesiæ humanitate testari potest, quàm illi qui in Urbe aliquam diu vixère; maximè sub Pontificatu trium novissimorum Pontificum, Urbani VIII. Innocentii X. & qui in præsentiarum Ecclesiæ navim moderatur, Alexandri VII, Germaniæ nostræ amantissimi Patris.

B.

Neque tyrannis in Ecclesia Romana exercetur per Episcoporum in presbyteros jurisdictionem.

Probatur ex hypothesi eorum protestantium, qui Puritanorum anarchiam verbo & exemplo nobiscum detestantur. Tales sunt

In Anglia omnes illi qui jure divino Episcopos presbyteris superiores esse ex scripturâ & antiquitate strenuè & constanter tuentur. Talis jam olim fuit Saravia Bezæ antoganista, qui non modo spiritualem eorum protocathedriam sed etiam temporalē quam legibus regni & principis beneficio jam tum habebeant cap. XXIV. tract. de diversis ministrorum Ecclesiæ gradibus, defendit. Ulterius

terius hac in re procedit Frigevilleus Gautrus in palma Christiana; ubi Archiepiscoporum ordinem propugnat, & primatum quo imperent Episcopis. Imò in præfatione ad Angliæ reginam IVRE DIVINO præesse docet. Nam Paulus dedit Tito πᾶσαν ἐπιταγὴν omne jus ordinandi, constituendi, jubendi, ut ille exponit relatus à Conzenio in c. XX. Matth. quæst. j. Certe in initio reformationis non erat mens Lutheri ipsis Episcopis sublatis talem annarchiam introducere, qualis hodie in plerisque cætibus Augustanis obtinet: *Non opto ruinam Episcoporum, sed reformationem*, scribit alicubi Lutherus. Melancthon in libr. Theol. Witt. nomine edito publicè protestatur: Ich laß die ordnung vnd den Bischofflichen stand sein / wie er ist. fol. 90. eod. libro addunt fol. 100. Wir wolten daß sie ihre authoritåt hetten vnd trewlich zu erhaltung Christlicher lehr vnd zucht dieneten / darzu wir jhnen gern vnderthan sein wolten.

In Suecia, Dania, Norwegia etsi ordine Episcopali destituantur, ius tamen Episcopale exercent nonnulli ministrorum, quos etiam Episcoporum nomine insigniunt.

In ipsa Germania ubi principes jus Episcopale sibi vendicant, tamen inter ministros certi seliguntur, qui in reliquos ἐπισκοπὴν exercent maiori sub, inde fastu & graviori dominatu, quam ab ullo nostrorum Episcoporum fieri consuevit. Memini adhuc unius in Hassia superintendentis, quem ob elationem animi quidam professor Theologiæ papam Cassellensem dictitare solebat. Cur ergo in solis nostris præsulibus tyrannidis festicam ita acutùm cernunt, & trabem dominatûs in suis non advertunt?

C.

Neque in tribunali Conscientiæ à nostris sacerdotibus summi Dei Iudicibus delegatis vel minima tyrannis exercetur.

Certè si praxin hodiernam in huius Sacramenti administratione receptam cum priscæ Ecclesiæ rigore comparemus, indulgentiæ potius nimiæ quam tyrannidis vel minimæ notam meretur. Ex multis duo duntaxat prisci rigoris exempla hîc producam.

Philip-

Philippus, qui primus Romani Imperii superbum fastigium Cruci submisit, cum magna ex parte factus esset Christianus, atque in Pascha vellet in sacra adyta perrumpere, repulsus est à Fabiano Papa, nec ante receptus, quam peregisset impositam pænitentiam, ut refert Matthæus Galenus Catech. CLIII. pag. mihi 497.

Theodosium publicæ pænitentiæ laborem & ignominiam à S. Ambrosio Mediolanensiū Episcopo iniunctam nō erubuisse, testatur ipse Ambrosius lib. 5. epist. 28: & tamen, si Nicephoro credimus, tam fuit gravis, ut illam nostri temporis vilissimæ animæ non sustinerent. Vide Nicephorum lib. 12. cap. 41.

Dices. Non vigebat tunc confessio illa auricularis, conscientiarum carnificina intolerabilis.

Resp. Imò verò moris erat Apostolici confiteri omnia, &, si quid visum erat, evulgabatur: hodie, edicto etiam Trident. Concilii liberati sumus ab illa necessitate & verecundia, nec aliud à nobis exigit benigna mater Ecclesia, quàm ut homini fortassis indocto, tibi simili confitearis peccata, cuius os tam fortibus clauditur seris, & obsignatur ex præcepto Synodi Lateranensis, ut si quid effutiverit, perpetuam adigatur ad pænitentiam, Et in nullo judicio etiam sæculari vel tantillum fidei apud Catholicos mereatur. Placet unico eoque fide dignissimo exemplo, quod in Gallico regno post enatum Schisma contigit florentissimo, hanc nostram corroborare assertionem. Refert D. Petrus de S. Romua'do part. 3. thesaus. Chronologici & Historici annum 1509. Certus quidam Confessarius in Tolosano morte turpissima damnatus est, in hunc modum. Civitatis illius civis emerat à quodam caupone 5. aut 6. vini dolia; paulò post ad eundem visit, ut curet ea in ædes suas devehi, antea tamen prælibat, censetq; nō esse idem vinum quod prius selegerat: unde cauponi succenset, qui civi cum crudius responderet, à verbis deventum est ad verbera; Hinc qui forte ad manum erat, caupo malleum ferreum adeò validè in civis caput impegit, ut mortuus ilicò conciderit: atque eo in ipsa cavea sepulto ad domesticos suos vultu planè sereno revertitur. Complures abierant menses, dum instans solemnitas paschalis hominem commonet, ut animum confessione expiet, & manus à sanguine noxias reddat, præcepto obtemporat, seque apud Sacerdotem de homicidio, apertis omnibus circumstantiis planè accusat, pænitentiam acceptat, & ritè absolutus sibi ac Deo restituitur. Dum ecce Sacerdos hic exiguo temporis intervallo unum aliquem ex civis demortui filiis conspicit, cui per transennam subindicat animæ parentis memor esset, illum

jam

jam pridem vivis ereptum. Avidè hæc aure & animo bibit filius, atque una jurejurando Sacerdotem obtestatur, exponat, quis parentem sustulerit; Quod detractat, arcano se cōfessionis sigillo teneri affirmans. Interim nō acquiescit filius, sed die proximo insequenti rursus confessarium convenit eique crumenam nummis fartam obtulit, quibus animum illius expugnavit, omnemque prout peracta est, tragædiam enarrantem audivit. Hic illico rem ad judicem deferre, conductis testibus, cauponis ædes ac caveam interiorem lustrari postulat; Cadaver deprehenditur, caupo tenetur, parlamento sistitur, homicidium à se perpetratum ultrò fatetur, seque ipse reum mortis condemnat, sic tamen ut palàm omnibus liberè contestatur, neminem, nisi Deum & confessarium sceleris sui conscium esse. Hac protestatione facta concilium urget, ut filius edicat quâ viâ in cognitionem homicidæ devenerit; qui dum tergiversatur, in carcerem conjicitur ubi confessarium tandem incusat: comprehenditur & hic, negatque crimen à se manifestatum: graviora veritus fingit: nudo gladio filium sibi jugulam petiisse, ut parricidam exponeret, adeoque metu; qui cadit in virum constantem adactum fuisse, quæ circumstantia negotium nonnihil suspendit, donec tandem res tota innotuit, atque hæc justissima in eum judicum sententia decreta est; confessarius, hic laqueo prævocatus exuerretur; caupo verò quasi omnis flagitij, de quo VIA ORDINARIA NIHIL CONSTABAT, immunis in domum suam liber dimissus est &c. hæc ille. Taceo hîc mitigationem pænitentiæ. Olim Theodosius totos novem menses expiationi suæ impendere cogebatur. Hodie unius horæ unicus quadrans sæpè sæpius pænitentiæ peragendæ sufficit. Meritò itaque delicatulis istis Neopistis illud S. Ambrosij oggerimus ex lib. 2. de pænit. c. x Hoc in Ecclesiâ facere fastidis, ut Deo supplices, ut patrocinium tibi ad Deum obsecrandum sanctæ plebis requiras, ubi nihil est, quod pudori esse debeat, NISI NON FATERI. cùm omnes simus peccatores, ubi ille laudabilior, qui humilior, ille justior qui sibi abjectior, fleat pro te mater Ecclesia, & culpam tuam lachrymis suis lavet.

Neque dicas, impossibile est admissorum delictorũ numerum ita accuratè memoria scire, ut non plurium memoria nobis excidat. Multa fugiunt memoriā, quæ nullo Studio vel labore queunt in animum revocari.

℞. Ultrò hoc damus, sed simul negamus talium prævaricationum esse à Christo præceptam confessionem specificam. Sufficit pro illarum dimissione cum regio Psalte Deo supplicare: *ab occultis meis munda me*, Do-

mine; &c. ignorantias meas ne memineris &c. Illorum verò, quorum tibi rectè es conscius, exigitur confessio quoad speciem & numerum; & hæc facta non est difficilis, dummodo aliquod tempus prævio conscientiæ tuæ scrutinio impendas, retexendo seriem totius lapsi ab ultimâ confessione temporis, easque per actionum, commerciorum, viarum, societatum, & reliquæ transactæ vitæ historiam. Hoc si in antecessum præstiteris, non est cur scrupulosè angaris de oblito forsan aliquo peccato, bona fides hîc sufficit.

D.

MVltò minus tyrannidem arguit in Ecclesia Catholica, quod Pontifex animas tanto numero in flammis purgatoriis ustulari permittat, quas per suffragia sua inde nullo negotio eximere posset. Nam si hoc Argumentum concluderet, ipsum Deum ter Opt. Max. longè fortius tyrannidis convinceret; In illius namque potestate est, ut omnibus dicat faciatque quod in cruce pænitenti latroni dixit fecitque: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Neque verum est, Pontificem pro suo arbitrio posse animas in illis expiatoriis flammis detentas eximere. Suffragiorum totius Ecclesiæ ope illis succurrere indubiè potest. Preces autem cuiuscunque tandem illæ sint, Dei Sanctissimæ voluntati se se conformare debent, juxta orationis Dominicæ præscriptum: fiat voluntas tua &c. Quàm ferventer autem pro illis animulis in Ecclesiâ Catholicâ Dei Misericordia, Pontifice Romano potissimum authore, exoretur, notius est, quàm ut hîc prolixè recenseri debeat.

Profligata itaque est ab Ecclesiâ Romanâ Catholicâ fœda tyrannidis macula, eiusque materna benignitas abundè asserta, quo prima huius operis nostri pars absoluta, & POSSIBILIS RECONCILIATIO Protestantium cum illa demonstrata est.



LIBER

LIBER II.

POstquam ſuperiori libro demonſtravimus non eſſè impoſſibilem Proteſtantium cum Romana Eccleſia confœderationem, dummodo ſuis hypotheſibus ſtare velint: operæ pretium nos facturos exiſtimamus, ſi hanc pacificationem *bonam* atque *rationabilem* eſſe, porrò oſtendamus.

Sicut igitur omne bonum in tres claſſes dividitur; ut aliud ſit honeſtum, aliud jucundum, utile aliud: ita huius pacis religioſæ præſtantiam triplicem, Orbi Chriſtiano dijudicandam hîc proponemus.

N. I.

Pax & unio cum Eccleſia Catholica Proteſtantibus haud quaquam eſt ignominioſa.

A.

SIcut enim filio nullam infert ignominiam, ſi matri, quam diu deſeruit, & probris multis affecit, ſe ſiſtat, veniamque patratorum delictorum roget; maximè poſtquam ab ea multis ſuſpiriis & lachrymis ad hoc eſt invitatus: ita ſanè Proteſtantes nullo honoris ſui diſpendio ad communẽ Matrem ſuam, à qua toties & tam affectuoſis precibus beneficijſque fuerunt invitati re-

vertentur. Meminerint illius pulcherrimi effati S. Ambrosij Epist. 31. ad Valentinum Imperatorem: *Nullus pudor est ad meliora transire.*

Et ne fortè quis dicat Pontificis amorem & beneficentiam ad eos solos se extendere, qui sacris Catholicis se addicunt, in testes voco non modò principes, comites, barones, aliosque illustri genere & lautiori fortuna claros: sed etiam plurimos mediocris & tenuissimæ fortunæ homines ex Polonia, Ungaria, Germania, Gallia aliisque Europæis provinciis hæresi infectis ad Urbem perficiscentes maximè tempore Jubilæi, quibus omnia humanitatis & beneficentiæ officia promiscuè exhibentur. Hoc ex Protestantibus ingenuè agnoscit D. Meno Hannekenius in dedicat. præfixa suo Irenico, in qua sic loquitur: Es haben die jüngsten Bäpste Urbanus VIII. Innocentius X. und der itztregierende Alexander VII. mit ihrer gelindigkeit/ nit nur bey den Evangelischen/ sondern auch Röm. Catholischen groß Lob erlangt. Certè longè majori securitate externi Acatholici Romæ vivunt, quàm orthodoxi in Anglia vel Suecia. Longè plura etiam beneficia illis præstantur. Cur ergo ad hanc matrem beneficam redire tergiversentur?

Dices protestantes si ad communionem Ecclesiæ Romanæ redeant, hoc ipso suos progenitores levitatis ac Schismatis arguunt, quasi absque iusta causa inde exiverint.

℟. Errare humanum est, ac proinde si quid humani maiores illorum à Romana Ecclesia semetipsos separantes passi sint, tanto vitio illis vertendum non est, sicut eorum in Schismate successoribus, & propagatoribus.

1. Quia tempore suæ separationis res fidei in controversiam pertractæ plenario Concilio nondum erant ita dilucidè terminatæ, neque alio forte animo suos cætus instituerant, quàm quod vellent à Concilio plenam earum decisionem expectare siquidem verbis Aug. Conf credendum sit.

2. Quia quæstiones fidei per diuturnam illam discussionem longè clarius hodie, qua in sub initio Schismatis sunt explicatæ. Hoc ex Protestantibus ingenuè fatetur Ægidius Hunnius inter suos famigeratissimus in tractatuquem inscripsit: Libelli IIII. de persona Christi libell. 4. pag. mihi 416. Iesuitæ, ait, nunc IN MVLTIS CAPITIBVS ITA DOCENT, nostrorum verba & linguam æmulantur: ut si quis ANTE SEXAGINTA ANNOS HUNC IN MODVM DOCVISSET, quo nunc Jesuitæ factitant: pro hæretico citra controversiam habitus & damnatus fuisset. Vides Christiane lector, quod Ecclesiæ Catholicæ rigidissimi assertores, qua laude meritò donantur laudatissimæ societatis

tatis JESU Theologi, in controversiis explicandis quantum fieri potuerit, adversariis suis indulserint, & duriores nonnullorum antiquiorum Scholasticorum Phrases post Tridentini Concilii declarationes. mitigaverint, in nonnullis etiam omninò correxerint. De confessione Specifica delictorum Catholicæ Ecclesiæ DD. à priscorum quorundam monachorum rigore recessisse testatur Gravverus in Art. XI. Aug. Confess. hic verbis: Recentiores (pontificii) dicunt: non omnium omnino & singulorum peccatorum exactam ENUMERATIONEM requiri, sed duntaxat illorum peccatorum QVORVM MEMINISSE POTEST. Et tamen hæc adeò luculenta Catholicæ sententiæ declaratio, rigidum istium Graverum in minimo flectere potuit, quominus potius & hanc ceu ἀναγκαῖαν & periculosam impugnaret.

3. Quia non præviderunt lernam illam malorum quam infelix hoc Schisma in orbem Christianum & vel maximè in imperium Romano Germanicum invexit, sicut nos pro dolor hoc & superiori seculo experti sumus; Veniam itaque merentur præ illis, qui tot malis oppressi ad Dei tamen Ecclesiam reverti nolunt.

4. Multi abusus qui diuturnitate temporis, incuriâ prælatorum & ipsius populi ad superstitionem propensioris vitio inoleverant, per plures Synodos Diœcesanas & Provinciales tum vel maximè œcumenici Tridentini Concilii authoritate sublati fuerunt, quibus olim protestantium majores scandalziati ad relinquendam Romanæ Ecclesiæ communionem in conscientia sese adstrictos arbitrabantur. Si qui adhuc (illorum saltem judicio) supersint: omnium optimè & citissime corrigentur, ubi in fidei capitibus consensus antecedenter initus fuerit. Si Protestantium reges & principes cæterique status Ecclesiæ sese aggregaverint, si illorum, quos vocant, Episcopi & super intendentes ordinationis sacerdotalis munus susceperint; tunc enim ceu membra corporis mystici quod est Ecclesia, maiori energia & effectu in cõgregatione universali Christianitatis Catholicæ defectus exponere, eorumque emendationem suffragiis suis decisivis, quo jure Episcopi *veri* in huiusmodi conventibus pollent, procurabunt.

Dices. si Protestantium principes & Episcopi ante concilium Romano Pontifici sese subijciant, hoc ipso libertatem amittunt, qua reformationem exigere possint. Cogentur enim edere fidei professionem, præsules insuper jurisjurandi Sacramento sese Pontifici adstringere tenebuntur.

R. Fdei professio etiam juxta formulam Pii IV. nullo verbo prohibet à sede Apostolica petere reformationem. Sufficeret Principibus si se declararent, quod credant omnia & ea sola quæ ab Ecclesia Catholica ex verbo

Dei in æcumenicis conciliis definita & declarata fuerunt. Similiter si Episcopi & Ministri alii protestantes in manus illius Præsulis Catholici à quo charisma scacerdotii per impositionem manuum accipient, sanctè promittant, quod Pontifiici Romano eam obedientiam & reverentiam sint exhibituri, quam SS. canones & antiqua Concilia præscripserunt. Per hoc enim integrum illis semper erit in Synodis libere abusus proponere, eorumque emendationem suffragiis suis urgere, prout in novissima Synodo Tridentina non pauci præsules Galli Hispanique fecere, quibus si maiori numero Germani Episcopi accessissent, plures forte sublati fuissent. Nugantur autem, si non mentiuntur, qui ex personato illo Petro suave, Paulo veneto passim referunt Episcopis os fuisse obturatum, & qui liberius fuerant locuti, concilio exire fuisse jussos. Hoc nullo fide digno testimonio probabitur unquam. Vergerius & alii Lutherum vel Zuinglium in corde foventes si se subduxerint, non alia causa factum, quàm quod desperarent attingere finem, ad quem collimabant, puta errores à priscis conciliis jam damnatos, & ab utroque hoc Schismatis antesignano repetitos Patribus persuadere, vel ipsum Concilium cum capite Romano Pontifice committere. Sicut enim Episcopi jus habent cum Pontifice vel eius legatis res fidei controversas nullo anteriori concilio terminatas decidendi: ante verò definitas esse tales declarare, Ita nec Pontifici nec Episcoporum ulteriùs licet aliquid in dubium vocare, quod jam dudum Spiritus S. in æcumenico aliquo Concilio determinavit.

B.

Neq; desunt protestantibus exempla aliorum populorum, qui ab Ecclesiâ Romanâ aliquot seculis defecerunt, & tandem ad illius communionẽ redire non erubuerunt. Græci à tempore Photii Constantinopolitanæ Ecclesiæ usurpatoris secessionẽ à sedis Apostolicæ communione fecerant, & tamen diversis vicibus Latinis sese unire non dubitarunt De schismatis huius ortu atq; progressu ita Plusiadenus & ipse schismaticus, dialogo de synodo Florentina Habemus Photium, qui contra latinos PRIMUS LIBRUM SCRIPSIT: post eum multos & probos, Philosophum Michaelem Psellum, Nilum Cabasilam, Methonensem Nicolaum, Nilum Rhodinum, Moschampara quendam, Phurnem Philosophum, Camaterum generosum, Barlaamum quendam Monachum Calabrum, Palamam sapientem, Theophylactum Bulga-

riæ

rii, Matthæū & alios plurimos &c. Mox tamē postqualiū Photius iste terpessimus in fata concessit eius successores ex ordine septendecim, puta Antonius, Stephanus, Nicolaus Mysticus, Eulamhymius, rursus alius Nicolaus, Stephanus, Trypho, Theophylactus, Polyeuctus, Basilius, Antonius, Nicolaus Chrysoberges condictus, Sisinnius ex præfecto, Sergius, Eustathius, Alexius iterum cum Italis communicarunt ut refert author manuscriptus apud Allatium lib. 2 c. 8. de Ecclesiæ occid. & orientalis perpetua consensione. Ubi verò Michaël Cerularius ad thronum Constantinopolitanum evectus fuit, ausus est iterum insurgere contra Romanam Ecclesiam; quem Sanctissimus Papa Leo IX. ex gente nostra teutonica oriundus compescuit per duos à latere suo legatos in Orientem directos Humbertum Et Federicum S. R. E. Cardinales; quo tempore etiam Petrus Patriarcha Antiochenus, ipso suæ creationis Exordio, expetens Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ communionem, Epistolam unà cum fidei professione ad dictum Leonem transmisit ab eo confirmationem obtinuit. Cerulareus verò quod ad meliorem frugem redire nollet à sedis Apostolicæ apocrisiariis cum Leone Achridano & aliis sequacibus in magna Ecclesia S. Sophiæ publicè excommunicatur. Et licet post hunc Cerularium græci à latinis passim fuerint alienati, non tamen pariformiter ab Ecclesia Romana differebant; plures, inter quos fuit etiam Theophylactus insignis scriptor & Archi-Præsul Bulgariæ cæteris lautatissimus, hoc solo nomine Latinos sugillabat, quod dogma processionis Spiritus. S. à Patre Filioque articulum fidei pronunciassent & ipsi symbolo Patrum absque consensu Orientalis Ecclesiæ addidissent; Photius verò, Sergius & Michaël cerularius ipsā dogmatis veritatē mordicus negabant, idq; Scripturæ cōtrariū esse asseverabant argumento planè simili quo superiori seculo ὁ νεοπιστιαν Lutherus evincere volebat; græci arguebant ex verbis Christi Ioh. XV. vers. 16: *qui à patre procedit* &c. Ergo non à filio; sicut Lutherus ex verbis Apostoli Rom. III. vers. 28. arbitramur hominē *iustificari per fidem* sine operibus legis, Ergo sola fide & nullis planè operibus.

Quoties autem Græci eorumque Imperatores & præsules ad pacē & unionē accesserunt fusè recenset supra laudatus Allatius; inter quas oppidò celebris est quæ contigit sub Andronico Michaelis Palæologi Jmperatoris (cuius primogeniti & Ioannis Patriarchiæ Constantinopolitani operâ literis ad Ioannem XXII. datis, unio quæ sub Gregorio X. in Concilio Lugdunensi conclusa à Græcis verò domum & ad vomitum reversis exclusa aliquandiu fuerat, denuò revocata & acceptata fuit. Et ipse Anno 1274 in Concilio Lugdunensi Romanæ Ecclesiæ se univerat, teste Nicephoro Gregora

in

initio lib. 5. & Bzoviuo ad ann. 1274. Extant literæ Pontificis & Imperatorum Michaelis Palæologi & Andronici ejus filii nec non Joannis Patriarchæ fusè relatæ apud Allatium lib.2. c.15. pag.730. 731.751. Similia contigere sub Benedicto XII. & Andronico juniore, sub Urbano V. & Ioanne Palæologo qui quidem Romam profectus luculentam catholicæ fidei professionem edidit ubi supra c. 17. pag. 849. 852.

Ultima unio facta est in concilio Florentino quam licet turbo ille & in cerebro turbatus Marcus Ephesinus turbare omnibus viribus in Græcia allaboraverit; non potuit tamen impedire quin ei subscriberet non modo Florentiæ Imperator Ioannes Palæologus & Josephus Patriarcha. Et quamvis græci uniti, licet enixè instaret Pontifex, Florentiæ noluerint eligere patriarcham, quod non esset moris eum eligere extra Constatinopolim: tamen etiam postquam Bessarion Romam se receperat Anno M cccc XL. Metrophanem virum orthodoxum & Synodi Florentinæ tenacissimum, qui sextus in ordine Synodo subscripserat, in Patriarcham elegerunt, teste Phanza apud Allat. ubi supra lib. III. c. 4. p. 938.

Moderni Græci licet in capitibus suis hoc est, in Patriarchis Metropolitis & Episcopis, tum etiam monachis & Sacerdotibus secularibus plerique Schismati adhæreant: non desunt tamen inter illos hierarchæ qui publicè vel occultè cum Catholica Romana Ecclesia communicant; quantopere verò ab occidentalibus erroribus & vel maximè ab hæresi Calviniana abhorreant & quanto cum Zelo illam in Cyrillo Lucari apostata, eius in throno Constantinopolitano successor Cyrillus Berrhoensis publicè damnaverit, ex cimmeliis Leonis Allatii veritatis Studioso Lectori hic exhibeo.

Exemplum sententiæ contra Cyrillum Lucarim, adscriptæ sacro Codici, Magnæ nostræ Ecclesiæ. Constantinopolitanus miseratione divina Patriarcha Cyrillus Berrhoensis. sententia Synodi Constantinopolitanæ contra hæretica capita Cyrilli Lucaris, qui Dei permissione fuit Patriarcha Constantinopolitanus. Omnium quidem quæ publicæ conferunt utilitati, eos, quibus credita sunt gubernacula administrandi curam gerere, præcipuè verò rerum ad pietatem spectantium, lex paterna, potius verò Dei in Prophetis minantis, malum gregis, ex negligentia paratum, è manibus pastorum quærere, est præceptum. Arguere igitur decet, & in malum invehi, ne ob imperitiam, tanquam bono, huic simpliciores adhæreant. & præsertim cum, qui hoc proponit, non nudum, sed veluti bonum, quibusdam orationis vanitatibus atque dolositate propo-

proponit involucris. Talia siquidem hostis malorum auctoris ab initio, ac eius deinde assectarum, fuerunt machinamenta. Quoniam igitur talis erat in dogmatibus, mortifero plenus veneno, immedicabiliter infirmatus circa præcipua, qui impius & exlex Patriarcha fuit paulò ante Constantinopolitanus, Lucaris Cyrillus; (non solum enim nova atque aliena à recta fidei ratione sentiebat, sed fraudulenter apud non integros mente, & intellectu non procedentes, simulabat, confiteri se ea, quæ olim recta inculpatæ Orientalis Ecclesiæ erant documenta, ita ut ex tali versutia contingeret propriæ fraudis dedecus rectæ fidei rationi inuri;) cogente necessitate, qui nunc in imperiali omnium civitate divina providentia reperti, tanquam de talibus rationem reddituri, Patriarchæ & cæterorum Pontificum cœtus, oportere censuimus, juxta factum à Spiritu Sancto afflatorum Patrum, qui necessariis temporibus in Synodis excoluerunt, præscriptum & normam, publica hunc nota afficere coram omnibus, & anathemati submittere; & amplius (ne summa veritas à quibusdam effrene circum strepentibus obturbetur atque propulsetur) eodē vincire vinculo recipientes, tanquam impias eius vaniloquentias. Cyrillo, cognomento lucari, qui omnem Orientalem Christi Ecclesiam, in impiorum eius capitum inscriptione, cum Calvino sentire, calumniose pronunciavit ac dixit: Anathema.. Cyrillo, dogmatizanti, & credenti, possibile esse, Sanctam Christi Ecclesiam mentiri. Inquit enim in Secundo eius capite, hanc non à Spiritu Sancto doceri, sed ab homine; & hominem ex ignorantia errare possibile esse, & decipere, & decipi. In Duodecimo verò eorundem capitum: Verum & certum est, in via posse errare Ecclesiam, & pro veritate mendacium eligere. Cum ex huiusmodi nugamentis, potius vero ex huiusmodi aperta insania, necessariò concluderetur, Deum hominem JESUM, ipsam veritatem, mentiri; minimeque nobiscum, vel cum Ecclesia, usque ad consummationem sæculi manere, ut promisit; atque Spiritum non loqui in ipsa; & portas inferi (scilicet impiorum hæreses) prævalere contra Ecclesiam. & adhæc, dubitare & hærere unumquemque, si verum sit, Evangelium (quod præ manibus habemus) ex Spiritu Sancto velut ab Ecclesia datum & non aliud. Possibile enim, ait, fallere & falli Ecclesiam, & pro veritate mendacium eligere. Tali, inquimus, omnium pessimo hæretico, Anathema. Cyrillo, dogmatizanti & credenti, quosdam quidem ante constitutionem mundi bonum Deum elegisse in gloriā, & prædestinasse sine operibus; alios verò, antè quam sæculum fieret, repudiasse sine causa; & nequaquam opera sufficere ad petendam remunerationem in Christi tribunali, ut manifestum est in III & XIII. eius cap. quoniam contingit, Deum auctorem esse mali, & injustum; vel non posse omnes

eidem Adami lapsui obnoxios salvare; & adhæc, mentiti Evangelia, dicentia, Esurivi, & dedistis mihi manducare; & Venite benedicti Patris mei, hæreditate possidete præparatum vobis regnum; & Paulum, os Christi, atque fratrem Domini Jacobum; hunc quidem, Non auditores legis, sed factores, justos esse, legem ferentem; illum verò, fidem sine operibus mortuam, declarantem: Anathema. Cyrillo, dogmatizanti & credenti, obscurè satis & subdole in VIII. eius cap. Sanctos non esse mediatores & intercessores pro nobis ad Deum; dicendo, mediatorem solum esse IESUM, & solum propria curare; ut destructori multorum oraculorum Spiritus; ait enim Deus, Protegam civitatem hanc propter David servum meum; & Sancti tres pueri in camino, Ne igitur tradas nos in finem, propter Abraham à te dilectum, & propter Isaac servum tuum, & propter Iacob Sanctum tuum; & Petrus ait, dabo operam autem & frequenter vos habere post obitum meum, horum memoriam facere: quomodo enim dabit operam post obitum, nisi interpellans, & Deum exorans? sed & Sanctæ magnæ & œcumenicæ septimæ Synodi Nicænæ definitio legem statuit, omnes Ecclesiasticas scripto vel sine scripto præceptas nobis traditiones, sine innovatione servare sub anathematis pæna: quarum una est Sanctorum invocatio: Anathema; Cyrillo, dogmatizanti & credenti, non esse omnem hominem liberum vel sui juris; ut clarum est in XIV. eius cap. sed unumquemque habere quidem potestatem peccandi, bonum autem faciendi minimè, ut destruenti Propheticas & Evangelicas divinas Spiritus voces, si volueritis & audieritis me, &c. Accedite ad eum & illuminamini, Qui vult venire post me, venite ad me omnes, & similia, ad hæc & quotidianas ad bonum exhortationes Anathema. CYRILLO, DOGMATIZANTI ET CREDENTI, NON ESSE SEPTEM SACRAMENTA ECCLESIÆ, ID EST, BAPTISMA, CHRISMA, PÆNITENTIAM, EUCHARISTIAM, ORDINEM SACERDOTUM, EXTREMAM UNCTIONEM, ET MATRIMONIUM, JUXTA CONSTITUTIONEM CHRISTI, APOSTOLORUM TRADITIONEM ATQUE CONSUETUDINEM ECCLESIÆ; SED MENTIENTI, NON ESSE TRADITA à Christo in Evangelio nisi solum Baptisma & Eucharistiam, ut videre est in XV. eius cap. Anathema. Cyrillo dogmatizanti & credenti NON TRANSMUTARI PANEM PROPOSITIONIS, ET INSUPER VINUM, PER SACERDOTIS BENEDICTIONEM ET SPIRITUS SANCTI ADVENTUM in verum Corpus & sanguinem Christi; Scriptum est enim in XVII. hæretico-

rum

rum eius capitum, Corpus Christi non est, quod, in sacris, oculis cernitur & accipitur, ut transgressori certissimorum Spiritus oraculorum, & ex spontanea malitia Deum hominē præceptorē nō audienti, Nisi manducaveritis carnē filii hominis, & biberitis eius sanguinē, non habebitis vitam in vobis; & Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo; & , Accipite, manducate, hoc est corpus meum, & bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus; & Paulum, usque in tertium cælum raptum dicentem, Accepit panem & gratias agens fregit & dixit, accipite & manducate hoc est corpus meum; & insuper Ecclesiasticas trecentorum decem & octo à Deo & Spiritu Sancto afflatorum in Nicæa Patrum diatyposes, præcipientes his verbis, Fide percipiamus seu intelligamus, esse super illam sacram mensam agnum Dei tollentem mundi peccatum, sine mactatione à Sacerdotibus sacrificatum, & honorandum eius sanguinem verè sumere: & ad hæc contemnenti concordem Spiritus legem, à magna Sancta Septima Synodo latam, ut est videre in VI. act. tom. III. manifestè satis dicentem, Post sanctificationem corpus propriè & sanguis Christi, dicuntur & sunt: Anathema. Cyrillo dogmatizanti & credenti. occultè quōdammodo in XVIII. eius cap. post mortem ijs, qui in fine pio & in pænitentia dormierunt, non prodesse eleemosynas, quæ à familiaribus fiunt, & Eccl. preces pro ipsis; ut nempe justis quidem perfectam fruitionē, peccatoribus verò completam damnationem consecutis, & etiam communem futurum in extrema horrenda die judicium & retributionem destruenti, quod alienum à scripturis à Deo afflatis, atque à nimis concordi Theologorum doctrina: Anathema.

Cyrillo, scelestissimo novo iconomacho, Anathema. Cyrillo, venerandarum imaginum cultum & relativam adorationem respuenti, & volenti evertere ipsam, licet non potuerit, ut in IV. sua responsione confitetur; Anathema. Cyrillo in IV. interogatione vaniloquentias vocanti ea, quæ à Sanctis Synodis de sacris imaginibus præscripta sunt; & juxta hoc contemnenti sacrosanctā & à Deo inspiratā Septimam Synodū Nicææ Secundo congregatā; Anathema. Legentibus capita falsò & mendaciter Scripta, sub nomine Orientalis Ecclesiæ, Cyrilli Lucaris, ut quid rectum continentia, atq; ex ipsis occultum & latens in eis venenum haurientibus; Licet enim in his superficie tenus videtur aliquid pium, ab intus tamen improviso suboritur hæresis; Anathema. Non credentibus Ecclesiæ contra Cyrillum legitimæ & Secundum præscripta factæ declarationi & decreto; & dicentibus vel etiam sentientibus illum esse pium, hanc autem Synodum contra ipsum congregatam mentiri. Anathema. Anno salutis,

M. D. CXXXIX. mense Septembri, Indictione VII. Cyrillus ex Berrhœa, miseratione divina Archiepiscopus Constantinopolis, novæ Romæ, & œcumenicus Patriarcha, Synodum contra Cyrillum lucarim congregatam confirmans, anathemati subiicio capita, ab ipso conscripta, & Cyrillum qui ea conscripsit, nec non eum, qui credit, illa esse orthodoxa.

Metrophanes, miseratione divina Patriarcha magnæ civitatis Alexandriæ.

Theophanes, miseratione divina Patriarcha Sanctæ Civitatis Hierusalem.

Adrianopolis Parthenius. Larissæ Gregorius. Serrarum Daniel. Joanninorum Parthenius. Heracleæ Ieremias. Berrhaæ Joannicius.

Didimotichi Daniel Præconesi Gregorius. Iconii Parthenius. Heracleæ Joannicius. Athenarum Daniel. Paranaxiæ Benjamin. Phanarii.

Theophanes. Sylimbriæ Sophronius. Co Joachim. Polyanæ Porphyrius. Sami Anthimus. Talantij Dorotheus. Chalcedonis Dionysius. Corinthi Josaphat. Drystæ Antonius.

Meletius Syrigus, sacerdos Monachus, & Magister magnæ Ecclesiæ.

Nicolaus sacerdos, Clarutzanes, sacerdos & Magister & Theologus magnæ Ecclesiæ.

Gabriel sacerdos Monachus Blasius, Magister magnæ Ecclesiæ.

MIchael sacerdos Vestarcha, & Magister magnæ Ecclesiæ. Magnus Oeconomus magnæ Ecclesiæ Georgius sacerdos. Magnus sacellarius magnæ Ecclesiæ. Magnus Protosyncellus magnæ Ecclesiæ Gabriel. Magnus Chartophylax magnæ Ecclesiæ Emanuel sacerdos. Magnus Rhetor magnæ Ecclesiæ Michael. Sacelli magnæ Ecclesiæ sacerdos Theologus. Magnus

Primus

Primus defenſor magnæ Eccleſiæ Sophianus. Magnus Primicerius magnæ Eccleſiæ Maurudes. Magnus Protoepiſcopus magnæ Eccleſiæ Euſtathius ſacerdos, Protonotarius magnæ Eccleſiæ. Nomophylax magnæ Eccleſiæ Paraſcevas ſacerdos. Primus Protonotarius magnæ Eccleſiæ Philippus. Archidiaconus magnæ Eccleſiæ Ignatius. Commentariorum Scriptor magnæ Eccleſiæ Conſtantinus. Logotheta domeſticorum ſcules. Logotheta Generalis magnæ Eccleſiæ Michael. Primicerius Notariorum Rales. Notarius magnæ Eccleſiæ Conſtantinus.

Poſt GRÆCOS partim proptia ſponte, partim ſummorum Pontificum paterna ſollicitudine ad Catholicæ Eccleſiæ unitatem & Apoſtolicæ ſedis obedientiam reductos; primum locum meritò aſſignamus MARONITIS Libani montis incolis; Quorum converſionem Card. Baronius ad an. Chriſti 1182. ex Wilhelmo Tyrio lib. 22. c. 8 tom. XII. annalium hiſce verbis recenſet: Interea dum regnum pace à Saladini bello, ut prædiximus, gauderet temporali, natio quædam ſyrorum in Phænice provincia circa juga libani juxta urbem Biblienſium habitans, plurimam circa ſui ſtatum paſſa eſt mutationem. Nam cùm per annos pænè QUINGENTOS cuiuſdam Maronis Hæreſiarchæ errorē fuiſſent ſecuti, ita ut ab eo dicerentur Maronitæ, & ab Eccleſiâ fidelium ſequeſtrati, ſeorſim Sacramenta conficerent ſua; divinâ inſpiratione ad cor redeuntes, languore depoſito, ad Patriarcham Antiochenum Haimericum, qui tertius latinorum nunc eidem præeſt Eccleſiæ, acceſſerunt, & abjurato errore, quo diu periculosè nimis detenti fuerant, AD UNITATEM ECCLESIÆ CATHOLICÆ reverſi ſunt fidē orthodoxam ſuſcipientes, parati Romanæ Eccleſiæ traditiones cum omni veneratione amplecti & obſervare. Erat autē huius populi turba non modica, SED QUADRAGINTA MILLIUM dicebatur excedere quantitatē qui per Biblienſē, Botrienſē, & Tripolitanū Epiſcopatus juga libani & montis devexa inhabitabant; erantq; viri fortes, & in armis ſtrenui, noſtris in maioribus negotiis, quæ cum hoſtibus habebant, frequentiſſima, valdè utiles. Unde & de eorum converſione ad fidei ſinceritatem maxima noſtris acceſſit lætitia &c. Huc uſque Tyrium recenſet Baronius.

Ante Maronitas Armenorum reconciliationem cum Romana Eccleſia idem Baronius ſequentem in modum ex Ottone Friſingenſi lib. 7. c. 31. 32, 33. ad annum Chriſti 1145. eod. tom. XII. enarrat Ea tempeſtate legati Armeniorum Epiſcoporum, eorumque Metropolitani, quem ipſi Catholicon, id eſt, univerſalem propter infinitum, id eſt, amplius QUAM MILLE EPISCOPORUM

sub se habentem numerum vocant, legati ab ultimo pænè Oriente SUMMUM PONTIFICEM VITERBII laboriosum iter per annum & sex menses complentes, adeunt eique ex parte illius ECCLESIÆ SUBJECTIONEM OMNIMODAM eum consalutando OFFERENTES &c. Quos Romanus Antistes gratanter suscipiens, Missarum solemniis ac sacrificiis secretis adhibuit, diligenterque ea quæ fiebant ibidem, eos animadvertere monuit. Quod dum facerent, intentique altari adstarent; unus ex eis pontificali dignitate præditus, sicut postmodum in plenâ curiâ retulit, in beati Martini octavâ, quando dedicatio Ecclesiæ B. Petri celebrari solet SUMMO PONTIFICE DIVINA MYSTERIA AGENTE, SPLENDIDO FULGORE RADIUM SOLIS SUPER CAPUT EJUS CORUSCARE, & in ipso duas columbas ascendentes & descendentes vidit. Cùmque diligentius hac illacque oculos circumferret, nullumq; aditum, per quem Lux illa transfunderetur, inveniret DEIFICUM HOC ESSE COGNOSCENS, AC AD OBEDIENTIAM ROMANÆ SEDIS AMPLIUS ACCENSUS, cunctis quæ viderat, aperuit. At venerabilis Pater (EUGENIUS PAPA III.) non suis hoc meritis attribuens, ipsius potius fide cælitus hoc sibi monstratum affirmabat; ut videlicet Ecclesia, à qua ipse missus fuerat, Sacramentorum virtutem veritatis luce perfusam cognosceret, ac deinceps quali ea reverentia & forma tractare deberet addisceret.

Hanc Armenorum cum Romana Ecclesia unionem græci Latinorum perpetui æmuli multoties conati fuere rescindere, eumque in finem Anno 1170. teste Theoriano quendam Græcũ ablegârunt, qui eos ab obedientiâ Romani Pontificis abstraheret, conatu tamen irrito. Manserunt plerique Armeni in fide semel datâ & acceptâ constantes, eosque Apostolica sedes per B. B. Cyrillum & Eusebium Carmelitani ordinis professores per integrum decennium ita in doctrinâ fidei Catholicæ erudiri curavit, ut ab eo tempore, puta ab anno 1192. quo dictus Cyrillus Jerosolymam ex Armenia reversus est, majorem sui partem in communione Catholicâ perseveraverint, prout in hodiernum usque diem persistunt, & illorum Catholicus Patriarcha Anno 1650. Romæ sub Innocentio x. comparuit, & in Ecclesiâ illi nationi assignatâ sacris publicè ritu suo operatus est. Vide de hac Armenorum catechesi R. P. Danielem à Virgine Maria in tractatu lectissimo, quem Vineam Carmeli inscripsit n. 761. & 720, in quo tamen, pace tam docti viri scripserim, in hoc graviter hallucinatur, quando primam Armenorum conversionem his ordinis sui Religiosis adscribere cupit.

Hoc

Hoc enim apertè refutatur ex superius allegatâ historiâ, quæ anno 1145. atque ita ad minus annis 36. prius contigit. Nisi fortè in anni huius missionis assignatione error subsit & dictus S. Cyrillus antequam Soldanum Iconii ad fidem converterit quod anno 1169. contigisse apud Baronium Matthæus Paris autumat; hic vir sanctissimus iam in Armenia convertenda sudaverit. Taceo, quod S. Chrysostomo in exilium ejecto prima Armenorum ad fidem Christi adductio passim adscribatur, à quo etiam Bibliorum versionem in lingua sua materna se habere gloriantur Armeni.

Integro autem seculo citius sese vnivere Romanæ Ecclesiæ Rutheni puta Anno 1075. Quando sub Papatu Gregorij VII. Demetrius eorum rex filium suum Romam miserat ob causas quas dictus Papa Gregorius in responsalibus suis hisce verbis explicat apud Baron. tom. VII. ad annum Christi 971. & tom. XI. ad annum Christi 1075.

Gregorius Episcopos servus servorum Dei Demetrio Regi Russorum & Reginæ uxori ejus Salutem & Apostolicam benedictionemr Filius vester limina Apostolorum visitans ad nos venit, & quod regnum illud dono S. Petri DEBITA FIDELITATE EXHIBITÀ, devotis Præcibus postulavit, indubitanter asseverans, illam suam petitionem vestro consensu ratam fore ac stabilem, si Apostolicæ auctoritatis gratia ac munimine donaretur. Cujus votis ac petitionibus, quia justa videbantur, tum ex consensu vestro, tum EX DEVOTIONE POSCENTIS, tandem assensum præbuimus, & regni vestri gubernacula sibi ex parte B. Petri tradidimus, eâ videlicet intentione atque desiderio Charitatis, UT B. PETRUS VOS ET REGNUM VESTRUM, omniaque vestra bona SUA APUD DEUM INTERCESSIONE CUSTODIAT, & cum omni pace, honore quoque & gloriâ idem regnum usque in finem vitæ vestræ vos tenere faciat &c.

Ex qua Epistola satis superque patescit hunc Ruthenum principem à Pontifice non regni investituram, sed sedis Apostolicæ benedictionem pro regno obtinendo quæsivisse, Neque aliâ intentione Gregorium ad hoc assensum præbuisse quàm ex desiderio charitatis &c.

Non diffitemur autem hanc nationem ab invassore regni aliorsum & in pristinum schisma fuisse pertractum ad laborantibus inprimis Græcis similiter in luto hærentibus. Cæterum etsi ad tempus aliquod obtorto collo ab ijsdem in varios errores abducti sunt: in Matrem tamen suam S. R. Ecclesiam subinde respicere suumque filialem affectum oblatâ occasione comprobare haut intermiserunt

serunt

ferunt. Hæc ſine dubio cauſa fuit, cur in penultimâ ſynodo æcumænica Florentiæ habitâ Iſidorus illorum Archiepiſcopus una cum Beſſarione Nicæno Archipræſule unionem præ omnibus aliis ſternuè promoverit, & redux in Patriam vitam quàm fidem S. Eccleſiæ Catholicæ ſemel datam perdere maluerit.

Omnium autem illuſtriſſima fuit converſio gentis Ruthenæ ſub Papatu Clementis VIII. quam clementiſſimus ille Pontifex in minoribus conſtitutus & Apoſtolici Nuntii munere in Polonia defunctus ſuâ doctrinâ, pietate & manſuetudine effecerat. Anno namque Domini MDXCV.12. Junii Literas Archiepiſcopi Kiovienſis & eius ſuffraganeorum duo illius nationis Epiſcopi Romam detulerunt ſequentis tenoris:

Sanctiſſime Pater, Domine & Paſtor Supreme Eccleſiæ Chriſti, Domine Clementiſſime.

Repetent memoria conſenſum in omnibus atque unionem Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ quam maiores noſtri ſub obedientiâ & regimine ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Romanæ coluerunt, ex alterâ verò parte perpendentes animis diſſentiones & ſchiſmata, quæ hodie invaluerunt: non potuimus propterea non maxîmo dolore affici: deprecabamurque aſſidue Dominum, ut nos aliquando IN UNITATEM FIDEI AGGREGARET; exſpectantes ſi fortè ſuperiores & Paſtores noſtri Orientalis Eccleſiæ, ſub quorum obedientiâ hucuſque fuimus, DE INEUNDA UNITATE ET CONCORDIA, quam in Liturgiis quoditie efflagitant, cogitare ſeriò, atque diligenter in eam rem & curam incumbere vellent,

Sed cùm videremus fruſtra tale quippiam Sperari ab illis, non tam malevolentiâ & temeritate fortaſſe eorum, quam quod ſub graviſſimo ſervitutis jugo crudeliſſimi tyranni & à religione Chriſtianâ alieni gemant, tentare illud quod maximè vellent, nullo modo poſſunt: nos nihilominus qui in his partibus ſub dominio ſereniſſimi Poloniæ & Suetiæ regis & Magni Ducis Lithuaniæ conſtituti ſumus, liberisque nobis propterea eſſe licet, attendentes officium noſtrum, neque nobis ipſis & ovibus gregis Chriſti, quarum cura ad nos ſpectat obeſſe, conſcientiaſque hac in parte noſtras tot animarum interitu, qui ex diſſenſionibus his provenit, gravare volentes, adjuvante Domino, ad unionẽ quæ antea inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam viguit, inque Florentina Synodo ab anteceſſoribus noſtris conſtituta eſt, accedere decrevimus, ut vinculo huius unionis adſtricti, ſub obedientia atque regimine Sanctitatis veſtræ, uno ore & corde,

corde glorificemus & laudemus omnes divinissimum & sanctissimum nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Ac proinde sciente volenteque Domino nostro Sigismundo Tertio Dei gratia Poloniæ & Suetiæ Rege, Magnoque Duce Lituaniæ, cuius etiam singulare ac sapientissimum studium in hac re enituit: mittimus ad Sanctitatem vestram charissimos fratres nostros reverendos in Christo Hypatium Pocici Protothronium atque Episcopum Vulodimiriensem, Pestrensemque, & Cyrillum Terleczki Exarcham atque Episcopum Luceoriensem, Ostrosiensemque: quibus mandavimus, ut sanctitatem vestram adeant: ac (si quidem sanctitas vestra administrationem Sacramentorum, ritusque & cerimonias Orientalis Ecclesiæ integrè, inviolabiter, atque eo modo quo tempore unionis illis utebamur, nobis conservare, confirmareque pro se & successoribus suis, nihil in hac parte innovaturis unquam dignetur) suo & omnium nostrum Archiepiscopi & Episcoporum, totiusque Ecclesiastici nostri status & ovium commissarum nobis divinitus nomine, sedi S. Petri & Sanctitati vestræ uti summo Pastori Ecclesiæ Christi debitam obedientiam deferant.

Quæ omnia petita à nobis si obtinuerimus, Sanctitati vestræ cum omnibus successoribus suis nos & successores nostri dicto audientes, subque regimine sanctitatis vestræ semper esse volumus. In quorum majorem fidem litteras præsentes manibus nostris subscripsimus atque munivimus sigillis. Data ex Regno Poloniæ & magno Ducatu Lituaniæ die XII. Junii Anno Domini M. DX. CV. juxta Kalendarium vetus.

Sanctitatis vestræ

Humillimi apud Deum oratores & servi

Subscriptiones cum Sigillis

Michaël Dei gratia Archiepiscopus Metropolita Kioviensis; Haliciensisque ac totius Russiæ, manu propria.

Ipation Dei gratia Protothronius Episcopus Vulodimiriensis Bresten sisque manu propria.

Cyrillus Terleczki Dei gratia Exarcha Episcopus Luceoriensis, Ostrosiensisque manu propria.

Gregorius nominatus Archiepiscopus Vladika Polocensis Vi-Michael &c. tebscensisque manu propria.

Leontius Peleziczki Episcopus Pinscẽsis, Turoviensisque manu propria.

Ionas Hohol Archimandrita Combriensis ecclesiæ S. Salvatoris manu propria subscripsit.

Idem Ionas Hohol nominatus Episcopus Pinsensis, Turoviensisque manu propria.

PLurium gentium tam orientalium, quam Occiduarum ad Romanam, hoc est Catholicam Communionem & unionem Dei miserentis beneficio perductarum Historias recensere præsentis instituti nostri prohibet brevitas. Tales sunt inter alias in ultimis Africæ finibus Æthiopes sub Papa Paulo III. & Davide rege eorum. In India Orientali Christiani illi THOMÆI opera Archiepiscopi Goani Catholicæ Communioni restituti. Vide Cudsemium in hyperaspiste c. 20.

Horum vestigijs si PROTESTANTES AUGUSTIANI in utraque Germaniâ Dania Suecia, Polonia, Livonia &c. insistere, PACIS ILLIUS, quam non mundus sed mundi Redemptor JESUS CHRISTUS ante suum ad Patrem ascensum toties & tam emphaticis verbis: PAX VOBIS, PACEM MEAM DO VOBIS &c. commendavit, participes esse sincero corde anhelent: sine dubio HVMANVM RESPECTVM & sordidum illud Lucellum, quod Lutheri Segregatio illis peperit, divinæ gloriæ & communi Germaniæ & regnorũ contiguorum, quorum Cives sunt, Saluti postponent, & ad VNVM ILLVD OVILE, ex quo superiori sæculo maiores illorũ adeò præcipiti saltu exsilierunt, revertentur. Placet concludere verbis S. Augustini tom. II. Epist. cc. III. ad maximum Episcopum Donatistam: Arripe libertatem Christianam frater, arripe quæso te, non cuiusquam hominis in contemplatione, Christi, aut reprehensionem verearis, aut exhorreas potestatem. Transit honor huius sæculi, transit ambitio. In futuro Christi judicio, nec absidæ gradatæ, nec cathedræ QVÆ HIC HONORANT, IBI ONERANT. QVÆ HIC RELEVANT

VANT IBI GRAVANT. Ista quæ pro tempôre propter Ecclesiæ utilitatem HONORI NOSTRO EXHIBENTUR, de fendent forte bonam Conscientiam, defendere autem non poterunt malam.

C.

Stimulos insuper ad unionẽ cum Romana Ecclesia protestantibus Augustanis addere deberent domestica, quibus inter se committuntur Sententiarum, non in levioribus sed gravioribus etiam fidei quæstionibus divortia. In his enim terminandis ne minima quidẽ spes affulget, Post tot labores concordiæ Anno 1580. initæ remanent hodie tria Protestantium sibi acerrimè contradicentium Schismata.

I. Est Ubiquètariorum, qui se se solos pro genuinis Augustanæ Confessionis sociis hodie venditant, cùm tamen hic error Luthero non nisi in æstu disputationis cum Sacramentariis corporalis præsentiæ in loco, ubi Eucharistia conficitur & dispensatur, impossibilitatem asserentibus, exciderit; & quem Melanchton suaviter Luthero dissuaserat, & quoad vixit suppresserat. Philippo autem hoc in fata digresso Brentius in Suevia Hunnius verò in Saxonia & Hassia ceu Palmarium credituque necessarium doctrinæ suæ Caput editis quatuor, ut vocat, Libellis in gratiam huius paradoxi aliquoties recognitis & auctis. Huic Hunio debemus diversorum in Augustanis errorum correctionem: UBIQUETATIS vero tunc temporis in pluribus Augustanæ Confessionis Scholis & Ecclesiis jam sepultæ resuscitationem, quando non erubuit ex ipsâ Augustiana Confessione tam illaudabile *dogma*, ut Calixto dicitur, prolixè asserere. Inter hos tamen ubiquetarios hoc est discriminis, quod aliis habetur & verum & creditu necessarium, cuius sententiæ sunt ferè omnes Saxoniæ superioris, & suevi vel maximè; aliis verum & oppidò probabile, non tamen creditu absolutè necessarium; In hac sententiâ annis superioribus, teste Ernesto Principe & Comite Provinciali Hassiaco, erat, Doctor Menzerus Superintendens & Ecclesiastes Aulicus Darmstadinus. Neque ab ea aliquatenus distant, quotquot ex Augustanis Heshusium, Hoffmannum, Calixtum, Horneum, & reliquos ubiquetatis apertos impugnatores pro fratribus in Christo agnoscunt, iisque in sacris publicè communicant.

inter eos verò qui ubiquetatis dogma & verum & necessarium statuunt, alia denuo suborta est his atque controversia. Tummius cum reliquis Tubingensibus humanitatis Christi Omnipræsentiam ad primum unionis hypostaticæ momentum EXTENDEBANT Menzerus senior cum saxonicis & Hassiacis ad tempus Exaltationis seu sessionis ad dexteram Patris RESTRINGEBANT. Vide tis necessariam Menzeri defensionem, & quæ huic opposuerunt Wittenbergici acta Menzeriana, Anno 1625. Tubingæ edita.

Qui licet hodie Principum suorum jussibus adacti nullis scriptis publicis se invicem lacessant, tamen neutra pars à suâ opinione vel unguem latum discessit neque modus vel medium ullum præsto est, quo alterutra erroris convinci possit, nisi utraque pars sese submittat tali judici, quem habeat pro indifferente & infallibili.

II. Factio est Calixtinorum, qui

A. Ubiquetatem absolutè & rotundè negant, nullâ habitâ ratione formulæ Concordiæ, in quam reliqui jurare, vel saltem sine juramento tueri consueverunt. Hi si non numero, merito certè causæ vel doctrinæ suæ priores superant, quoad hoc punctum.

B. Bona opera hi tales ad Salutem necessaria saltem per modum CONDITIONIS SINE QUA NON asseverant. Qua in re utilem operam impendit Hornæus Calixti Collega in Assertione suâ iteratâ, quod fides non qualis libet, sed quæ per charitatem operatur, ad salutem sit necessaria & justificet.

C. Reformatos, ut vocari gestiunt, in fidei FUNDAMENTO secum consentire ac proinde Syncretismum cum illis haut esse impossibilem. In hoc capite præ reliquis Augustanis capitaliùs errant & meritò hoc nomine ab Hulsemanno, Calovio, Dannhawero, Habeikornio, aliisque sincerioribus Protestantibus vapulant. Horum vero constantiam frustra Labefactare conati sunt hucusque Dureus scotus, Amiraldus Gallus, & novissimè Ioannes Meller Helvetius Bernas, ut ex infra dicendis pluribus constabit.

Interim pro nostro intento ex dictis sic concludimus.

I.

I.

Vera Christi Ecclesia est columna & firmamentum Veritatis, habetque à Christo Spiritum Sanctum, qui illam edocet omnem Veritatem, ut proinde in fide naufragari seu errare nequeat;

Augustana Ecclesia non est talis, sed propria sua confessione, fallibilis; similiter & reformata &c.

Ergo harum nulla est Vera Ecclesia.

Dices, Augustana Ecclesia est infallibilis quatenus & quamdiu adhæret infallibili Dei verbo;

RESp. sub hac conditione, quæ nihil ponit in esse, quilibet cætus etiam Judæorum & Turcarum, dici potest infallibilis; absolutè verò loquendo falsum est dicere id esse infallibile quod de facto in aliquo fidei capite contra Veritatem impingit; sicut impegit cætus Lutheranus statim ab initio quando ex Syllabo librorum divinorum tam Novi quàm veteris Testamenti aliquot libros *Expunxit* quos postea restituit. Similiter quando excogitavit aliquot dogmata, qualia sunt ubiquetas Corporis Christi, eiusdem in Eucharistia impanatio; fides actualis in infantibus & id commatis alia quæ apud omnes alios Christianos etiam nonnullos suæ communionis pro notoriè falsis & absurdis habentur. Denique quia ore proprio fatetur sibi à Christo nnnquam absolutè promissam esse eam Spiritus Sancti assistentiam, qua certò certius & in perpetuum sit præservanda ab omni erroris incursu. Hoc autem beneficio gaudere ROMANAM ECCLESIAM & illa firmiter credit, & omnes pii atque orthodoxi ubique terrarum constanter profitentur; Testem ex Africa produco S. Cyprianum lib. 1. Epist. 3. dicentem: *ad Romanos perfidia non habet accessum*, ex Palestina D Hieronymum lib. 3. apol. contra Ruffinum asseverantē *Romanam fidem Apostolicâ voce laudatam* (errorum) *præstigias non recipere; etiamsi Angelus aliter annunciet, quàm semel prædicatum est.* Ex Græcia Gre-

gorium Nazianzenũ pleno ore profitentem : *vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, Et semper eam retinet &c.* Ex Italia Ruffinum agnoscentem in exposit. Symboli : *In Ecclesia urbis Romæ neque hæresin ullam sumpsisse exordium, & morem ibi servari antiquum.* Huic ergo ubi se cætus Augustani junxerint suasque domesticas controversias ex verbo Dei dijudicandas tradiderint, finem rixæ suæ habebunt & cum majori meliorique orbis Christiani parte Catholica pace fruentur.

Neque dicas, in ipsa Ecclesia Romana varia esse sententiarum de rebus fidei divortia; pugnare inter se Scholasticos quorum alij jurant in verba Thomæ, alii mediam inter hos duos, sibi fere semper contrarios magistros viam ingrediuntur eosque inter se conciliare nituntur. Certamina in Scholis non finire, sed in ipsas Ecclesias irrumpere, ita ut in hodiernum usque diem sub judice pendeant sequentes lites.

1. An Pontifex extra Concilium aliquid definiens sit infallibilis, & an eius infallibilitas sit fide Catholica tenenda.
2. An major sit Concilij Generalis authoritas quam Pontificis.
3. An gratia efficax præmotio tollat arbitrii humani libertatem, vel contraria sententia ad Pelagianismum vergat
4. An B. Virgo Deipara sit immunis ab omnis peccati noxa.
5. An in Conscientiæ directione sufficiat Theologorum probabile judicium, & an non ex recentioribus Casuistis aliqui sint, qui tales foveant opiniones quæ atheismum & jam olim damnatas ab Ecclesia hæreses redoleant id quod post alios D. Sinnichius in suo Saule ex rege probare conatur.

Quamvis enim circa has & alias hujuscemodi quæstiones etiam Catholici in partes abeant, omnes tamen conveniunt in hoc universali Catholico & indubitato principio:

I. QUI-

I. QUICQUID PONTIFEX CUM CONCILIO GENERALI circa has quæstiones DEFINIVIT vel DEFINIET hoc omnes firma fide CREDERE tenentur, ideoque omnes & singuli suas opiniones ultimo huic & in omnium Catholicorum confessione INFALLIBILI JVDICIO subjiciunt, & quicquid in eo definitur, vel jam ante definitum fuisse declaratur, hoc sub pœna æternæ damnationis admittendum esse. omnes unanimiter credunt.

II. Quicquid Vniversalis Ecclesia praxi sua testatur, esse de fide Catholica.

III. QVICQVID ETIAM PONTIFEX certus & à tota Ecclesia semel acceptatus etiã extra formale concilium, jam ante in aliquo generali certum Synodo definitum fuisse DECLARAT pari certitudine amplectendum esse concorditer statuunt.

IIII. Quicquid Pontifex noviter ex Scriptura & Traditione definit nullatenus arguendum sed pia devotione tam diu pro vero ac certo habendum esse, donec ab alio Pontifice cum legitimo concilio Generali, retractetur, vide quę supra dicta sunt de primatu & infallibilitate pontificis pag. 54 seqq. Qui verò etiam in his tribus principiis ab aliis Catholicis discrepant, in censum Catholicorum minimè referendi sunt. Imò ex hoc primo principio patet omnes orientales Christianos qui Pontificis declarationibus & definitionibus apertè & præfractè non contradicunt, sed parati sunt ea omnia quæ in Synodis universalibus per utramque Ecclesiam celebratis & celebrandis definita sunt aut suo tempore adhuc definientur, prompta fide amplecti, illos pro Catholicis agnoscendos; & talium maximum esse numerum tam pastorum quàm ovium in Ecclesijs orientalibus notius est quam ut prolixè demonstrari opus sit. Instabis forte. Terminet Pontifex cum concilio lites suorum domesticas ante enumeratas, & tunc sit solicitus de nostris rixis sopiendis.

℞. Rixæ vestræ sunt immortales quàm diu caretis judice infallibili & indifferente. Nostras è medio tollere potest Ecclesia quando idè re sua utile & necessarium esse duxerit Sicut in plurimis controversiis jam ab ipsis Christianismi incunabilis præstitit; ut patet ex decisione prima Apostolorum Act. xv. usque ad novissimam Iansenismi extinctionem ab Innocentio x. Pontifice novissime defuncto feliciter peractam, A moderno sanctissimo Domino nostro

nostro Alexandro VII. speramus haud minora præsertim quod attinet quæstiones adhuc inter Catholicos agitatas & forum conscientiæ concernentes.

D.

Ad unionem cum Ecclesia Romana maturandam Augustanos Protestantes meritò flectere deberet ingens illa malorum lerna quæ Schismati per Lutherum excitato ortum & progressum suum debet. Recogitent quæso quot mala redundarint inde

I. in statum Ecclesiasticorum qui, antequam Turbo iste Saxonicus Ecclesiæ pacem turbaret, omnes suam ordinationem à talibus Episcopis ubique terrarum uniformiter obtinebant, qui ipsis Evangelicis fatentibus, vero ac valido saltem, (licet ex eorum judicio) non usque adeò puro ministerio pollebant: unde & illi quibus per impositionem manuum gratiam seu munus Sacerdotale conferebant, ritè vocati & ordinati & tunc habebantur & nunc etiam ab omnibus Christianis, si Puritanorum irreconciliabile genimen excipias, habentur. Presbyteros namque Romanos & Syri, Armeni & Æthiopes ceu tales agnoscunt, etiã illi qui Schismatis luto ad huc hærent; Ex Evangelicis, quos vocant, Protestantibus, pauci admodum eò vecordiæ prolapsi sunt, ut illos ceu invalide ordinatos repudiarent. Validam pronunciat Fridericus Balduinus Wittenbergensis professor & superintendens lib. IV. de casibus Conscientiæ ubi varias & solidas rationes ad hanc sententiam confirmandam producit. Cum illo consentit Hulsemannus in tract. de ritu ordinationis &c. Habemus itaque pro vocationis & Sacerdotii Catholici validitate adversariorum nostrorum testimonium in omni jure efficacissimum; Protestantium verò ministrorum ordinationem esse nullam, non nos Catholici soli sed omnes per orbem terrarum Christiani qui à Luthero vel alio posteriore ortum suum non trahunt, constanter & unaminiter asserunt idque ex hoc capite quia ab Episcopo vero non sunt ordinati. Per veros autem Episcopos non intelligi solos Papales seu qui sedis Apostolicæ communione & gratia fruuntur; Scimus enim quam plures alios reperiri in Ecclesijs orientalibus qui ab Episcopis ritè ordinatis consecrationis Pontificalis munus acceperunt & in suis diæcesibus presbyteros ordinant, qui si ad obedientiam sedis Apostolicæ revertantur, nulla

alia

lia ordinatione sed sola errorum quos ante foverant, ejuratione & absolutione ab excommunicatione Ecclesiæ restituuntur; teste Morino in comment. de sacris Ecclesiæ ordinationibus præfat. ad lectorem.

qui verò (sunt verba sanctissimi martyris & præsulis Cypriani tractat. 3. de simplicitate prælatorum) se præpositos SINE VLLA ORDINATIONIS LEGE constituunt, qui nemine EPISCOPATVM DANTE, Episcopi nomen sibi assumunt, quales fuere Lutherus, Pomeranus & alii primi ordinis Episcopalis usurpatores; qui (ut idem loquitur Cyprianus Epist. vi. ad Magnum) falsa altaria & illicita sacerdotia & sacrificia sacrilega & NOMINA ADULTERATA (superintendentium, Inspectorum, Arch & Episcoporum, Abbatum &c.) fingentes, multò magis REBELLES. ET HOSTES sunt, quam Ecclesiam contemnentes. Ac proinde inter Ethnicos necesse est, computentur. Vtinā hanc abominationem intelligerent &, si non sibi, tot saltem animarum myriadibus, quos divinissimorum Sacramentorum fructu defraudant, parcerent! Perspicua enim res est nunquam Ecclesiam agnovisse Presbyteros vel Diaconos, nisi ab Episcopis ordinatis ut bene docet Bellarminus lib. 13. Demus enim Luthericis penes totam Ecclesiam jus esse vocandi pastores Ecclesiæ; tamen, ipso Balduino fatente, executio huius juris exerceri debet per Episcopum tanquam caput Ministerii.

Falsum autem est Episcopos non *jure divino* sed humano duntaxat ordinationem exercere. Probamus hac è Scripturâ apertè petita apodixi:

Id quod Apostoli seorsim Episcopis commiserunt, hoc non humano sed divino jure exercent Episcopi.

Atqui oppidatim constituere & ordinare presbyteros Paulus Apostolus Tito Cretensium, si S. Hieronymo credimus, Episcopo seorsim commisit. Ergo. Minor patet ex verbis: Hujus rei gratia reliqui TE Cretæ VT CONSTITVAS per civitates presbyteros. Tit. 1. v. 5.

Dices 1. Tim. IV. vers. 4. Idem testatur Apostolus Timotheum accepisse gratiam cum impositione manus presbyterii. Ergo cumulativè toti presbyterio, non seorsim & privativè Episcopo, Chirotoniæ actus competit.

℟. Episcopi Catholici non simpliciter excludunt presbyteros etiam simplices ab impositione manuum; imò in hodiernum usque diem quando ordinationes fiunt, eorum aliquot, subinde in solennioribus ordinationibus quamplures post Præsulem ordinatorem manus suas imponunt. Non tamen certum est Apostolum hic loqui de presbyterio seu cætu presbytero-

 rum

rum simplicium. Imò longè probabilius est illum loqui de presbyterio tali quod constabat ex presbyteris qui simul erant Episcopi quales intelliguntur Act. XX. vers. 17. Phil. 1. vers. 1. 1. Tim. III. vers. 2. Solebant enim Apostoli in Exordio Ecclesiæ totam Sacerdotalis characteris plenitudinem si non in omnes, certe in quamplures conferre; ne ipsis per mundi plagas dispersis, deessent, qui alios ordinare possent. Sic in celebrioribus Ecclesiis integrum erat collegium ex presbyteris Episcopis constans; quale hodie est sacrum Collegium Eminentissimorum Cardinalium S. R. E. quorum multi dicuntur presbyteri & tamen sunt Episcopi consecrati; sic hodie in illustrissimo Collegio Canonicorum Metropolitanorum Moguntinensium aliqui Episcopi, licet veri & consecrati Episcopi sint, in hoc tamen collegio inter presbyteros & canonicos reputantur; Tales utique fuerunt olim, qui teste Ambrosio in cap. 4. ad Ephesios, in Ægypto presbyteros consecrabant. Successu autem temporis quando primæ Charitatis fervor remittere & illi presbytero-Episcopi *unum illum* quem sibi tunc præficere solebant, floccipendere cæperunt, visum est ecclesiæ potestatē alios ordinandi à potestate reliqua sacerdotali separare, & non nisi illis qui ad regimen pontificale electi vel deputati fuerant pontificalem characterem in consecratione conferre. Potuisse autem hoc Ecclesiam facere vel inde evincitur, quod non obstante hoc, quod Christus in vltima cæna omnes Apostolos Diaconos & presbyteros simul fecerit, tamen Apostoli jam suo tempore Diaconi & presbyteratus munus divisim & gradatim conferebant; in idem jus successit proximè sequentium temporum Ecclesia in quibus presbyteratus & Episcopatus characteres seorsim conferre, vel, si cui forte sententia characteres geminans minus arrideat, saltem *Extensionem illam charecteris* quæ facultatem alios post se sacerdotes creandi, in se comprehendit.

2. in Statum civilem seu politicum magna per Lutheri doctrinam beneficia fuisse collata passim & ipse Lutherus in suis scriptis, & eius sectatores gloriantur Sed quam sit inanis hæc gloriatio ex sequentibus elucescit.

Primò Regibus & Principibus cæterisque Dynastis protestantium postquam Sanctuaria Dei hæreditate possederunt dulcis quidem ab initio Panis Christi fuit magnasque delicias præbuit; sed postmodum eventus docuit quàm illis hæc usurpatio fuerit damnosa; ex quo enim dominia sua masculis prolibus jam non amplius ad Sacrorum ordinum sed ad matrimonialia vota adspirantibus dividere debuerunt: ipsa bona Ecclesiastica in hos usus conversa tantum maledictionis pluribus familiis pepererunt ut nonnullæ penitus extinctæ, aliæ ad extremam paupertatem redactæ, aliæ ab honoris pristini culmine regali, & Electorali dejec-

dejectæ fuerint. Exempla sunt nimis odiosa & plus satis in imperio nota. Faxit Deus ut serò saltem cum Phrygibus nostri sapiant Germani Protestantes; & quando nec dum sese Ecclesiæ Catholicæ variis respectibus humanis præpediti penitus coadunare possunt, tales saltem viros in suis Ecclesiis alant qui Schismatis, quà fieri potest, imminutionem quærànt & pacis viam sectentur; Qualis fuit senior Calixtus quando ipsum salutis fundamentum contra tot alios acerbiores, nullo dogmate, quod in Ecclesia Romana universaliter receptum sit, inverti multoties ostendit. Et si vera sunt quæ de illius obitu scribuntur, non in odio Papæ, quemadmodum Lutherus, sed, sicut adverbum habetur in Programmate Prorectoris & senatus Academici Anno 1656. Helmstadii affixo: ego cupio mori sub capite Christo, & in fide veræ Catholicæ Ecclesiæ, ET AMORE OMNIUM, QUI DEUM PATREM, FILIUM ET SPIRITUM SANCTUM Sincerè colunt & diligunt. Non condemnabo errantem in QUÆSTIONIBUS NON NECESSARIIS, & mihi quoque Deum VENIAM DATURUM confido, si in talibus, UT FIERI POTUIT aberraverim &c. Hæc agonizans ille senex, utinam fat bene, & cum sufficienti cordis contritione! Certè Studium pacis jam ante in tractatu quem Desiderium & Sudium pacis inscripserat, abunde ostendit, maximè § . IV. ubi sic habet: Si Pontificiarum partium aliqui (forte etiam multi) æternæ vitæ participes esse possunt vel erunt, eos tanquam ejusdem Patris (cui videlicet utrimque dicimus, Pater noster, qui es in cælis) filios tanquam concorpores & cohæredes, TANQUAM FRATRES ET SORORES HABERI & diligi oportet. Magis catechoricè ante Calixtum loquitur Chytræus ubi agit de pace Anno 1532. Catholicos & Protestantes inter inita; testatur enim convenisse, ut unusquisque alterum vera amicitia & Christiana Charitate complecteretur. Quantum vero Reipublicæ nostræ intersit ut pax religiosa sanciatur testatur Leonhardus Hutterus magni apud Augustanos nominis Scriptor præfat. in Irenic: Cognitum perspectumque habemus pace Ecclesiæ pacem nostram contineri: & à tranquilitate Ecclesiæ ipsius etiam Reip. incolumitatem pendere. Et licet hoc Hutterus non agnovisset, ipsa tamen experientia hoc plus satis & ante & post Hutteri tempora Principes nostros edocere potuisset ac debuisset. Sub ipsa Pacis secularis serenitate plures indies obscurantur familiæ Serenissimæ & illustres germanicæ non aliunde quàm quod per Religionis diffidium prohibeatur gens nostra Teutonica vires suas cum hostibus exteris experiri, & tam generosis pectoribus, qualibus Imperium abundat, ansam præbere, ut fines Imperii germanici in fines Barbarorum usque extendere; Non dico, quod multi alii tam

nostræ quàm Protestanticæ religionis non ita pridem publicis & (meo judicio) scandalosis scriptis propugnarunt; simpliciter esse impossibile ut Imperator noster cum Turcarum Tyranno stante Religionis dissidio, belligerari aut felicem belli successum sperare possit. Absit à me tam væcors insania, & præceps judicium. Quod conqueror hoc unum est; per illos pacis Ecclesiasticæ osores & Schismatis pertinacissimos assertores, plurimum præpediri nostros principes Teutonicos, quominus vires suas conjungant & Machometis mancipia sibi subjugent. Pium est ergo desiderium eorum qui expetunt dissidia & odia, quæ invaluerunt, proh dolor! inter Catholicos & Protestantes, si non penitus tolli, saltem in tantum MITIGARI ut alter alterum habeat pro Christiano & secundum antiquos Patres pro Fratre saltem de jure ; & licet necdum nos Catholici Protestantium sacris communicare illæsa conscientia possimus; quia Ministrorum illorum vocatio hucusque à nullis Christianis, præterquam qui de partet Lutheri & Calvini sunt, ceu validum vel legitimum habetur; Neque illi nostrorum sacris si Baptismum excipias, communicare velint, cum tamen id longè facilius præstare possint, juxta ea quæ superius pro *validitate ordinationis* ad presbyteratus Catholici ex ipsis Protestantium nominatissimorum suffragiis adduximus: Si tamen oblata pacis remedia *saltem nobiscum tentare* satgerint, nihil, quod partium nostrarum erit, intermittetur, quo Sanctissimum unionis beneficium orbi Christiano quantocyus restituatur. Nolumus, ut pro cæli hæredibus habeant ullum ex nostris, qui apud animum suum persuasus est, nullum esse *jure divino* Romani Pontificis *primatum*, nullum à Christo institutum Missæ *sacrificium propriedictum & propitiatorium*, purgatorium &c. & tamen hæc ore profitetur. Habeant eius farinæ homines pro hypocritis & Numinis divini illusoribus, sicut revera sunt. Admittant autem nos qui hæc & alia omnia Catholicæ Ecclesiæ capita fincero corde firmissimè credimus, & non ore tantum sed sanguinis effusione profiteri cupimus; Petimus autem ab Augustanis eosque in visceribus salvatoris obtestamur ut saltem hanc nobis gratiam faciant, & misso partium studio in Dei timore apud animum suum expendant, quàm sit *assensio nostra fidei in* prædictis articulis, *eorum negatione securior.*

Primò enim à nobis stant luculenta SS. Literarum oracula, non hodie vel nudius tertius, sed *ante mille & tot centenos annos* in plenariis Christianorum orthodoxorum Synodis & SS. Patrum commentariis, eodem prorsus sensu, quem hodie S. tenet traditq; Ecclesia Romana, explicata Hoc Lutherus, Hoc Calv. sub initium Schismatis non fuêre ausi diffiteri; eorū tamen discipuli ex Augustanis Chemnitius, ex Sacramentariis Petrus Martyr cum tempore audaciores facti

ea

ex Patrum monumentis suffragia emendicare conati. Nos hic nō tantū ad Christianorum omnium præjudicio nullo laborantium, sed ipsorum adeò in fidelium arbitrium incorruptum provocamus. Eligantur ex gentibus Christum non profitentibus viri aliquot cætera docti, prudentes & candidi, exhibeatur illis codex divinus utriusque fœderis, hebraicè, græcè & latinè; Sanctiones insuper æcumenicorum Conciliorum unà cum operibus S. Cypriani, Ambrosii, Hieronymi & Augustini; & cōmunibus paribusq; expensis per unius anni circiter spatiū à se invicem segregati alantur, & sub jurisjurandi Sacramento jubeantur seorsim in scripto declarare, quosnā ex omnibus Christianis existiment eam fidei professionem habere, quam prælaudata concilia & patres ex scriptura suis temporibus tradiderunt. Nisi pro Tridentini Concilii professione & decretis potius quam pro Augustanæ confessionis articulis illi contrariis pronunciaverint, magnum causæ nostræ præjudicium inde enatū esse, ingenuè agnoscemus. Quamvis enim in illos, utpote infideles, *absolutè & simpliciter compromittere* nec possimus nec velimus; ubi tamen de hoc facto judicii & candoris sui dictamen sine ulla suspicione fraudis protulerint, fiduciam quam de sanctæ fidei nostræ Symphonia cum doctrina Patrum nostrorum jam aliàs habemus, non parùm corroborabit. Speramus etiam Protestantes prudentiores ex tam impartiali judicio ad Veritatis agnitionem tantò facilius perventuros. Ille enim, (sunt verba S. Vincentii Lyrinensis qui ante mille annos in Ecclesia Gallicana floruit) verus & Germanus & Catholicus Christianus est, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui divinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit, *non hominis cujuspiam authoritatem, non amorem, non ingenium &c.* Cum enim, *addit idem paulò post*, mali cujusque erroris putredo erumpere cæperit, & ad defensionem sui *quædam sacræ legis verba furari, fallaciterque & fraudulenter exponere*: statim interpretando Canoni, *majorum sententiæ congregandæ sunt*, quibus illud quodcunque exsurget novitium, ideòque prophanum, absque ulla ambage prodatur, & sine ulla retractione damnetur. Sed eorum duntaxat Patrum sententiæ conferendæ sunt, *qui in fide & Communione Catholica* sanctè, sapienter, constanter viventes, docentes, & permanentes, *vel mori in Christo fideliter, vel occidi in Christo feliciter meruerunt.* Quibus tamen hac lege credendum est, ut, quicquid vel omnes, vel plures, uno eodemque sensu *manifestè, frequenter, perseveranter*, velut quodā sibi cōsentiente Magistrorū concilio, accipiendo, tenendo, tradēdo firmaverint, id pro indubitato, certo ratoque habeatur. Quicquid verò, quamvis ille Sanctus, & doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor martyr, *præter omnes aut etiam contra omnes senserit*, id inter proprias, & occultas & privatas opini-

opiniunculas? *communis & publica generalis sententiæ authoritate secretum sit.* Hactenus Lyrinensis Vincentius in aureo libello adversus prophanas novationes.

Secundo ipsa ratio dictat cautelam superabundantem nunquam nocere, prodesse sæpius. Præstat ergo ab eo sibi semper cavere, quod aliquando officere potest; quàm illud intermittere quod nunquam aliquid damni, in aliquo autem casu multum emolumenti afferre potest.

Ponamus enim *affirmationem primatus papalis* non esse quidem in *jure divino* fundatam, sed tantum humano niti, putà sanctionibus Conciliorum & beneplacito Imperatorum Romanorum ut Schismatici orientales passim asserunt, quid mali inde mihi obtinget, si hoc ceu divinitus revelatum ego, tot scripturæ divinæ oraculis per Sanctissimos doctissimosque Patres ad huius Veritatis assertionem ante tot secula adhibitis, fretus admittam? Nulla hic temeritas, sed provida cautela quæ sanctis potius quam sibi obtemperare adigit. Si per impossibile error sub esset Dei benignitas illum facile indulgeret, quia authoritate eorum quibus doctrinæ clavum commisserat, invaluit. *Si autem negatio primatus papalis sit erronea*, sicut revera est, & homo nullius Concilii, nullius à prima Ecclesiæ ætate orthodoxi authoritate: sed vel proprii iudicii vel alicuius tertii, quē præter congreges, reliquus orbis Christianus pro Schismatis authore habet, ratiunculis noviter excogitatis, nixus illum proterve neget, acerbè criminetur, quid tandē in illô decretorio die pro huius erroris commissione excusanda prætexere poterít, Iussus erat audire Ecclesiam Matth XVIII. Præpositis illius obedire, iisque subiacere Heb. XIII. Ecclesiam, quam *veram esse* ipsus agnovit, contempsit: præsulibus, quos *validè ordinatos* legitimosque Pastores esse scivit, insultavit & alienos qui non missi subintraverant, adhæsit. Quid miser sis dicturus, iam, rogo, in die tua recogites.

Tertiò, ut spes pacis tantò clarius effulgeat, sub illius aurora seu Tentamine Augustani Protestantes Catholicorum moderationi respondere & ea concedere meritò deberent quæ illæsa fidei integritate largiri possunt. Talia sunt.

A. Proscriptio plasphemæ criminationis de Papa Anti-Christo, quam Luthero in articulis Schmalkaldicis nimium quantum exacerbato furor extorsit. Hoc *facere possunt* ex rationibus supra pag. 32. 33. allatis. Hoc amore pacis *facere debent*, quia Catholici illos volunt admittere sinceræ Charitatis affectu

fectu, dummodo ea omnia ac sola quæ in universalibus Synodis definita & declarata sunt firmiter credere sint parati.

B. Communionis sub utraque specie necessitas, ut vocant, Sacramenti & præcepti divini; quasi nemo validè vel licitè possit sumere corpus & sanguinem Domini præterquam sub bina specie. Hanc ubi propugnare desierint, & in cæteris doctrinam Ecclesiæ integram inviolatamque servare, parati fuerint, præsules nostri à sede Apostolica communionem sub *utraque* illis indubiè impetrabunt.

C. Si nolint adstringi ad profitendum totidem verbis terminum Transsubstantiationis in tot Conciliis generalibus jam approbatum, saltem Nobis obloqui & detrahere desinant, qui eo ad excludendam Sacramentariorum ludificationem tam necessario adhibendum esse credimus, quàm fuerit à SS. Patribus in Nicæno concilio usurpatum τὸ ὁμοούσιον ad præcavendum Arrianorum fraudes & lusus in vocabulis. Hoc ubi ab Augustanis præstitum fuerit sanctèq; nobis declaraverint quod in Eucharistiæ symbolis nullam animæ suæ refectionem quam verum, vivumque corpus ac sanguinem Dei & salvatoris nostri JESU CHRISTI quærant, neque terreni panis substantialem coexistentiam urgeant, sintq; contenti credere cum Ecclesia Catholica id quod verba CHRISTI præcisè sonant: *Hoc est corpus meum &c. Hic est sanguis meus &c.* nos vicissim illos amore pacis non ita ad illum loquendi modum adstringemus antequam Dei beneficio connexionem rei significatæ & iam creditæ cum termino emphatico, Transsubstantiationis, plenius percipiant.

D. Si oblationem Dominici corporis in Eucharistia ex verbis institutionis assequi nequeant; quam tamen benedictus Salvator noster ita dilucidè expressit per verba: corpus meum PRO VOBIS DATUR; CALIX QUI EFFUNDITUR &c. saltem à fœdis illis missatici sacrificii criminationibus, quod in eo idolomania, magica incantatio, & occultum veneficium committatur, crassos & in doctos nonnullos suorum præconum cohibeant. Norunt Magistrum cui abrogationem Missæ debent, non absimilem illi qui Zvvinglio glossam, SIGNIFICAT, suggessit.

Desinant ergo nobis porrò affingere horridã illam sententiam quæ dicit Christum in missa cruento modo immolari & hanc oblationem ex opere operato inde-

dependenter à Christo eius institutore, & totius salutis nostræ authore, nos Deo recōciliare, & omni benedictionis genere cumulare. Hęc enim suntmerę calumnię quibus dogma Ecclesię traducitur. *Opus operatum* quod tam in hoc sacrificio, quā in Sacramentis urgemus, nō est tam ministri quam Christi qui principaliter sacrificat, baptizat, absolvit &c. Quod si attendere voluerint, in re non ita magna remanebat discordia; offerant filium Patri in Spiritu & veritate dum verba consecrationis super panem & vinum proferunt, idque hac sincerâ protestatione, quod nolint per hanc oblationem applicativam aliquid à Patre misericordiarum impetrare, quod Christus unica & in crucis ara peracta oblatione jam non ante acquisiuit; Si enim licitum imò obligatorium est ut quilibet Christianus, quando sumit Sanctissimā Eucharistiā, intendat per hoc Deum suum colere; cur non etiam Sacerdos Eucharistiam conficiens pro fine habere possit Patrem adorare seu colere in Spiritu & Veritate & non modo ad utilitatem communicantium sed etiam ad honorem Dei illam actionem perficere. Mortis Christi annunciatio seu celebratio non ad solum communionis sed etiam benedictiois seu consecrationis actum referri debet. Hoc ingenuè fatetur in suo Irenico D. Hannekenius; Im H. Abendtmahl wird das wahre creutzopffer Dargestellt rc. Das geschicht dem lieben Gott und seinem Sohn Jesu Christo zu ehren im 3. Streit-art. pag. 108. Es wird geopffert durch hertzliche Dangsagung / da glaubige Christen Gott und seinem Sohn Jesu Christo Hertzlich dancken/für dies H. opffer p. 109. Wann die Messz bey vns gehalten wird/so wird das allerheiligste opffer auch dē liebē Gott gebracht p. 123. Idem ante diu docuit Gravverus ut videre est in Graivv. redivivo pag. 1192. ubi adverbum sic loquitur: Denique Patres Eucharistiam interdum Sacrificium appellarunt, quod IN EA FIT APPLICATIO unici istius Sacrifici cruenti Corporis Christi in ara Crucis peracti Quòd Si etiam licitum est laico dicere quando communicat: Hie hab ich gessen / sunt verba Hannekenii, den Wahren Leib und das Wahre Blut deines Sohns / Das stelle ich dir lieber Vatter für meine sünden dar / das wollest du für meine sünde annemen und umb des willen mir gnädig sein rc. Cur non potius eo animo sacerdoti panem & vinum Sanctificare fas sit? Maximè cum ipsa Benedictio ipso facto mortem dominicam annunciat; Dum enim seorsim panis, & seorsim vinum consecratur, mysticè à corpore sanguis separatur; Tota ergo quæstio in hoc consistit;

1. An Sacerdos non possit imò debeat in benedictione seu consecratione visibilium Elementorum habere intentionem in hac sua liturgica actione inprimis publicè Deum colere & Protestari quod ille sit Dominus universo-

versorum , cuius dominum ipse filius in assumpta natura semel in ara Crucis proprii Sangvinis effusione & mortis perpessione agnoverit; antequam verò in hanc mortē traderetur in cæna novissima hanc novæ legis novam nos docuerit oblationem, ut os & manus suas Sacerdos Christo invisibiliter præsenti accommodet & eadem mente qua Christus in cæna novissima verba illa: Hoc est corpus meum, hic est Sangvis meus, enunciet. Per hoc tamen non excluditur altera quoque intentio parandi cibum & potum in alimoniam animarum credentium. Nos affirmamus freti mandato Christi, quod opere & Sermone nobis dedit; *opere* ut colligimus ex verbis: hoc corpus meum pro vobis datur &c. *Sermone*: Hoc facite &c. quamvis enim ex nudo verbo *facere*, actio Sacrificans & quidem talis, non evinci possit; quia tamen similis usus hujus verbi toties in Scriptura Veteris & Novi Testamenti occurrit & S. Dei Ecclesia hanc significationem ei attribuit, magnum huic rei momentum affert, sicut alias fusè probamus.

2 Altera difficultas est, an Panis & Vini Benedictio talem ob finem facta ex Christi institutione vim habeat applicandi merita Christi pro remissione peccatorum etiam eorum qui actu non communicant. Nos affirmamus convicti clarissimis Salvatoris Christi verbis Matth. XXVI. vers. 27. 28. accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Duo enim ex his verbis aperte colligimus.

1. Christum antequam discipulos communicaverat, & postquam Panem & Vinum in manus acceperat, Benedixisse & gratias egisse, cui? utique Deo Patri elevatis sursum oculis quod apud Joannem fecisse c. XI. vers. 41. legitur, corde si non ore hæc verba ingeminans: *confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ*. Luc. X. vers. 21. hæc autem est ipsissima illa protestatio supremi Dominii qua Sacerdos in actu consecrationis Deum glorificare debet; & quoties hunc ad exemplum Christi peragit, indubie etiam hoc facit quod faciendum hac sua hierurgica actione Christus expressit.

2. Ex iisdem verbis patescit, *calicem fuisse sanguinem novi Testamenti, qui pro multis erat effundendus* IN REMISSIONEM PECCATORUM; Quemadmodum igitur sanguis agni paschalis à Sacerdote poculo haustus versus Altare effundendo DEO offerebatur, ut ex Judæorum Talmude Buxtorffius apud Walæum fusè recenset; ita voluit Christus ut calix qui erat novum Testamentum in sanguine agni veri immolati, pro peccatis multorum effunderetur.

Dices; voluit ut *offerretur à seipso* proximè sequenti die; *non ab alio quoquam sacrifico.*

℞. Christus voluit effundi calicem qui erat sanguis seu continebat sanguinem eo modo quo tunc effundendo offerebatur, patet ex Luc. c. XXII. v. 20. ubi Spiritus S. rem adhuc clarius exprimit: hic est calix novum Testamentum in meo sanguine, qui calix pro vobis effunditur; sed hæc effusio non erat alia nisi mystica consistens in consecratione separata corporis & sanguinis: Huiusmodi verò effusione die parasceves Christus calicem non effudit. Taceo nunc de emphasi textus Græci Protestantibus authentici, in quo ipse calix effusus tunc fuisse dicitur.

Neque dicas I. per calicis effusionem intelligi calicem metaphoricum Passionis quo Christus sanguinem totaliter effudit.

Obstat enim sacer contextus qui exerrè testatur, Christum in cæna ACCEPISSE ILLUM CALICEM eumque dedisse discipulis &c. Ergo non de alio calice figurativo Passionis intellig voluit.

Neque fas est sine necessitate à literali sensu ad tropos delabi, nisi illis qui ad castra Sacramentariorum deflectunt.

Neque dicas II. Christus effudit in cæna calicem distribuendo eundem inter discipulos. Ergo non sacrificando sed communicando.

℞. obstat textus, neque enim dicitur: qui inter multos, sed, PRO MULTIS, effundetur. Neque ullus antiquorum vel neotericorum hoc glossemate usus est.

Manet ergo, Christi sanguinem in Calice ab ipso Christo fuisse in remissionem peccatorum effusum quando omnipotenti sua virtute effecit ut sanguis esset Sacramentaliter seu vi verborum extra corpus; quemadmodum Panis consecratus dicitur frangi, quia Sacramentaliter & vi verborum extra sanguinem Corpus ponitur. Qua quidem actione Christus, teste Irenæo lib. 4. c. 14. *novi Testamenti novam docuit oblationem*; ut ubi eius corpus & sanguis conficitur, Passio celebretur; *quæ celebratio est remediū solum vitam præstans & mortem effugans ut* loquitur Martialis epist. ad Burdigal c. 3 *talibus enim hostijs Placatur Dominus & peccata dimittit ingentia* sunt verba Alexand. I. Papæ Epist. I. ad orthodoxos. *in concilio Trident. sess XXII. c 2 repetita.* Has autem decretales non esse suppositiias sed genuinas jam Superiori seculo Anno 1525. in conspectu totius Imperii & cum eiusdem speciali Privilegio ex codice propter admirandam scripturæ vetustatem suspiciēdo & ex bibliotheca Monasterii Erbacensis in Ringavia accepto per chalcogra-

cographum Ioannem Wendelstinum impresso & Reverendissimo præsuli ac principi Brixinensi dedicato; Si tunc temporis protestantium quis comparuisset qui, adulterinum hunc esse partum dictitasset, per collationem & inspectionem horum vetustissimorum codicum convinci facile potuisset. Hodie Protestantibus non minus familiare quam facile est huiuscemodi scripta ceu falsa traducere; quia Bellonæ injuria intercepti fuere.

Et quod post alios multos negare iterum audet ex Protestantibus D. Hannekenius ubi supra 121. daß das Meß-Opffer daher krafft und würckung von dem Creutz-Opffer bekomme, weil es ein Ebenbild desselben sey / kan ich eher nit glauben / biß ihr beweiset daß Christus darzu eingsetzt habe / daß es seines Creutz-Todts Ebenbilt / und seines Creutz-Opffers krafft und würckung habe.

Mira res! Eucharistia in omnium sententia, quatenus est *Sacramentum*, est memoriale seu commemoratio mortis dominicæ ac proinde habet ex sacrificio illo crucis vim remittendi peccata; cur non etiam quatenus est *Sacrificium* commemorativum, sive, quatenus à ministro apparatur in eum finem ut dilectio patris filium unigenitũ tradentis, & obedientia filii patientis glorificetur. Certè in Conc. I v. Carthag. can. 6. jubetur acolythus accipere urceolum ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi. Idem repetitur in pont. Rom.

In eo enim nimis graviter impingit cætera sat oculatus Hannekenius quando hanc mysticam carnis & sanguinis Christi *divisionem* à sacerdotibus sine piaculo fieri posse negat pag 122 Hoc enim ipso & Christum & Lutheranæ Ecclesiæ ministros universim sacrilegii arguit. Omnes enim sub bina specie consecrant, vel saltem consecrare conantur, & hoc ex Christi exemplo & mandato. Vel ostendat nobis Hannekenius aliam rationem qua in Eucharistia conficienda mortem Domini melius annunciare possimus? Accedit his ex institutione dominica deductis rationibus perpetuus S. Patrum sensus & consensus quod Eucharistia non modò *Sacramenti* sed & etiam *sacrificii* rationem habeat. Conatur quidem D. Hannekenius in suo Irenico Catholico-Evangelico pag 87. suorum effugium tueri, quando in materia sacrificii Missæ pressi authoritate nimis clarâ & copiosa SS. Patrum, eam sacrificium nuncupantium, replicant, hoc ab illis non nisi denominatione petita ab illa oblatione & collecta quam in gratiam pauperum ditiores olim conferebant, esse factum. Hac rima olim Heilbronnerus elabi voluit in suo *papatu acatholico*; sed mox illa per P. Kellerum in papatu Catholicò, præclusa fuit, regerendo, fuisse quidem Apostolorum ætate & temporibus proximè subsecutis in Ecclesia more receptum ut pro celebrando sacrificio Panē & Vinum locupletiores, Ecclesiæ eo tempore pauperrerimę, suppeditarent,

farent, & juxta Apostoli monitum in solatium & subsidium egenorum liberales, eleemosynas erogarent: ex hinc tamen confici nō posse quod hac de causa Patres Eucharistiam sacrificij elogio potissimum insigniverint. Contrarium non aliunde quàm ex prælaudatorum Patrum testimoniis quæ Heilbonneri Hyperaspistes Georgius Zeæman, homo prompti ingenii, sed non ita sinceri genii, in sua Apologia ad art. VIII. vom Vrsprung der Meß cap. 1. allegat, probabimus; ut non sit opus de genuina patrum editione cum pacis osoribus hic loci altercari.

Missam itaque esse ac dici sacrificium *Præcisè* ac propriè propter consecrationem corporis & sanguinis JESU CHRISTI per enunciationem verborum quibus ipse benedictus Deus & Salvator noster JESUS CHRISTUS *Seorsim transelementavit* Panem & Vinum in Corpus & sanguinem suum, non *physica* sed mystica, attamen *realissima separatione* sequentem inmodum probamus:

§. I.

Christianorum sacrificium in primitiva Ecclesia non consistebat *propriè & proximè* in oblatione laicorum qua Panem, Vinum & Aquam Ecclesiæ Episcopis ac presbyteris offerebant.

Probatur ex testimoniis SS. P.P. à D. Georgio Zeæman laudatis.

A P.P. in Concilio Matisconensi II. can. 4. decernimus, inquiunt, ut omnibus dominicis diebus ALTARI oblatio ab omnibus viris & mulieribus OFFERATUR, tam Panis quam Vini &c. Ergo juxta mentem horum Patrum seculares non Deo immediatè & propriè SED ALTARI, hoc est, sacrificio quod in Altari peragitur, Panem & Vinum obtulerunt. Quæ quidem oblatio non nisi remotè & metaphoricè sacrificium dici potest juxta ipsius Zeæmanni definitionem, quæ in vernacula nostra lingua ita ponitur; ein eigentlich genandtes Opffer sey eine Handlung von Gott eingesetzt / darinn eusserliche Leibliche ding von gewissen Personen / dem Herren geheiliget und dargegeben werden/ zu dem End/ und mit denen ceremonien die Gott selbst geordnet hat; latinè, sacrificium esse *actionem à Deo institutam*, in qua exteriores & corporeæ res *à certis personis* Domino *Sanctificantur & offeruntur*, in eum finem & talibus ceremoniis quas ipse Deus ordinavit.

Atqui oblationes quas Altari prisci illi Christiani offerebant, non erant actio *à Deo* ullibi in novo Testamento *instituta*, neque fiebat à *certis personis* sed promiscuè à Cunctis Christi fidelibus præcipuè quidem à lautioris fortunæ hominibus; egentioribus tamen haud exclusis ut patet ex illo D. Cypriani exemplo per

D.

D. Zeæmanicam p. 463. col. 2. allegato ex sermone 1. de Eleemosyna ubi perstringit divitem fœminam quæ cùm *in Dominicum* nihil attulerat, non tamen erubuit partem de sacrificio quod pauper obtulerat, accipere Neque offerebatur à laicis Panis & Vinum aqua dilutum, *Deo*, sed *Altari*. Multò minus *ceremoniis ab ipso Deo ordinatis*, sed ritu aliquo per Ecclesiam illis temporibus miserabilibus accomodum & tamen non necessarium. Ergo illa oblatio laica non erat sacrificium quale Apostoli à Christo edocti, ipso Zeæmanno p. 457. celebrando peregerunt; illi enim ritum substantialem, qualis est benedictio seu consecratio Panis, seorsim & diversorum verborum prolatione, à consecratione calicis, illum ab ipsomet Deo & salvatore Christo ordinatum accepêre. Quod verò postea, teste Gregorio, Apostoli orationis Dominicæ recitationem; & successive totum illum Canonem, quem Tertullianus *precem puram* ad Scapulam nominat; S. Ambrosius autem pene verbotenus in catech. biblico nostro laudatus, recenset, addiderint: ut testatur S. Isidorus Hispalensis Sexti seculi scriptor lib. 4. de Eccl. officiis c. 4. apud Zeæman p. 473 Ei minimè refragatur Innocentius papa III. quando Gelasio aliquod illius auctarium ascribit; Aliæ enim ceremoniæ secundariæ quas Amalarius Walafridus & his recentiores recensent, diu post per Ambrosium & Gregorium in latina, per Basilium & Chrysostomum in græca Ecclesia ex antiquissimis Apostolorum liturgiis extracti & in suis Ecclesiis introducti fuere, quæ ceremoniæ sine [illegible]io ortum suum debent illis *reliquis* quæ Paulus se *dispositurum* in Ecclesia Corinthiaca, in aliis Ecclesiis alii Apostoli sibi reservarunt.

B S. Augustinus disertè refutat hanc Heilbornneri, Zeæmanni & D. Hannekennii divinationē de nomenclatura sacrificii superius prolata & S.S. Patribus afficta quando tom. II. Epist. 121. refert aliquot matronas in captivitatem à Barbaris abductas non potuisse ferre *oblationem ad Altare* Dei, vel invenire ibi sacerdotē *per quem offerrent Deo*. Hic, quęso, mentis oculos adhibeant & notent discrimen inter oblationem laicam quæ fit ad altare & quam primis Ecclesiæ seculis omnis Populus intrans Ecclesiam, DABAT; quæ consuetudo in Ecclesia Uratislaviensi teste Joanne Lango à Zeæmanno p. 461. relato, ad huc tempore Ferdinandi I, durabat; imò hac nostra ætate ad huc quadantenus in usu est Quotiescunque enim Episcopi alios antistites ordinant, Panis & Vinum illis ad Altare sistitur; oblationes etiam in solennioribus festis passim adhuc sunt in usu, quem ritum nostra lingua his verbis exprimimus zum Opffer gehen. Neque diffitemur suo consensu adstantes aliquo modo Sacrificium Deo offere. Hoc enim in Sancto Canone exerte ponitur : *vel qui tibi offerunt hoc sacrificium &c.*

Similiter in verbis quæ sacerdos ad populum conversus in Altari profert: Orate Fratres *ut meum & vestrum sacrificium* acceptabile fiat &c. Quæstio autem in hoc tandem desinit, an ita *propriè & immeditate* Deo sacrificent illi qui Panem & Vinum aquâ mixtum pro celebratione suppeditant, vel qui pro sustentatione Sacerdotum Elemosynas liberè vel etiam cum onere, ut un vel plures missæ in solatium animæ suæ legantur: quàm Sacerdotes qui ipsis mysteriis operantur. Hanc paritatem nos Catholici negamus & ex ante laudato textu D. Augustini sic refutamus; condoluit S. Augustinus quòd non possent. mulieres captivæ invenire Sacerdotem PER QUEM OFFERRENT DEO oblationem suam quam ad Altare tulerant; Ergò supposuit Augustinus illas per semetipsas hoc præstare non potuisse, alioquin ex hoc capite non fuissent commiseratione dignæ. Et quis de hac veritate dubitet, quando jam ante Augustinum gloriosus martyr Cyprianus signanter asserit quando *sacrificium Spirituale* (non corporale quale laici offerebant) tunc Sacrificium Sacerdos Deo Patri offert. *& Paulo post.* Quotiescunque calicem in commemorationem Domini & Passionis ejus *offerimus*, id quod constat Dominum fecisse, *faciamus* apud Zeæmam p.466. Atqui non Christus sed hospes Panē & Vinum pro sacrificio illo primo attulerunt; Christus verò consecrando & gratias Deo agendo obtulit; ad eum itaque modum hodieque *Sacerdotes soli offerre* debent. Inter Sacerdotes quidem perinde est, sive oblationem sacram Petrus, sive Paulus sive cujusvis meriti Sacerdos offerat teste Chrisostomo homil. 2. Epist. 1. ad Timotheum; *per hos ergò* Sancta Ecclesia per universum orbem terræ offere non cessat ut loquitur S. Augustinus vel alius illi synchronos lib. de Fide ad Petrum; Tam enim ipsa per ipsum, quam ipse per ipsam offerri suetus est lib. x de Civit. Dei c. xx. hoc est, quemadmodum Ecclesia per Sacerdotes Christum caput suum Deo Patri offert; ita vicissim Christus per Sacerdotes Ecclesiæ necessitates Patri offerre solet. Neque negamus hoc sacrificium idem esse cum illo quod in ara crucis pro salutis & redemptionis nostræ acquisitione Redemptor noster JESUS CHRISTUS juxta ordinem Aaron obtulit; nec non cum illo quod pridie quàm pateretur, secundum ordinem Melchisedech pro applicandis Passionis & mortis suæ meritis, Apostolis injunxit: Hic enim unus & idem Sacerdos & hostia peccatorum solutionem efficit ut loquitur Theodoretus apud Zeæman p.68. in Eucharistiæ ergo sacrificio Missatico illius salutaris sacrificii memoriam peragimus juxta Eundem Theodor. Falsissimum autem est omne illud per qnod ea quæ Christus in ara crucis pertulit, repræsentantur, ad verus Testamentum spectare, ut scribit Zeæmannus verè vir parcus in admittenda veritate,

titate. Distinguendæ sunt repræsentationes mortis dominicæ *tanquam futuræ* quales erant in sacrificiis leviticis; à repræsentatione unica illa & incruenta mortis ac Passionũ Christi præteritarũ quas nost. â vice jam subijt. Qualis memoria est nõ modò in Eucharistica imolatione, sed in ipso Baptismo per quẽ Paulo teste, cõsepulti sumus cum Christo in mortem. Et oportebat Zeæmannum fuisse memorem eorum quæ nobis pag. 455. adeò liberaliter concessit his verbis: Wann gegentheil die haltung des Abendmahls allein in solchem verblümten Geistlichen Verstand ein Opffer nennete / dieweil es nemlich zur Gedächtnus des eigenen Creutz-Opffers eingesetzt / auch ein offentlicher Gottesdienst und Kirchen actus ist darbey mann betet / GOtt dancket / und in der alten Kirchen auch allmosen gebracht / wolten wir uns baldt mit ihnen verglichen haben. cum quo etiam coincidit D. Hännekenii sequens concessio:

Es wird geopffert / es wird herzugebracht im H. Abentmahl ꝛc. dem lieben GOtt und seinem Sohn IESU CHRISTO zu ehren/ daß sein Nahm herlich werde. p. 180. Imò verò hoc totum est quod intendimus quando Missam verum ac propriè dictum Sacrificium esse urgemus; quia est Sacrificium Spirituale quod in Spiritu & veritate peragitur, quando corpus & sanguis non physico sed mystico modo immolatur virtute Spiritus Sancti in memoriam unici illius sacrificii in ara crucis ab ipsomet salvatore peracti; qua mystica oblatione *practicè adoramus & colimus patrem*, offerendo illi corpus & sanguinem unici filii eius in recognitionem illius supremi dominii quod exeruit, quando proprio filio ñon pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Tum etiam in contestationem servitutis nostræ & quod omnia quæ animæ & corpori nostro sunt necessaria, eius largitati debeamus. Ut hoc, nõ seorsim tantum, quilibet intra latebras cordis sui Deo præstet, sed publicè in Eccl. magna peragatur: hęc actio (quo nomine Missa ab ipsa Apostolorũ ætate indigitatur) instituta est à Christo quando dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* Quicquid reclamet D. Hannekenius dicendo: Bringet mir einen orth auß der schrifft/wo nit außtrücklich vom opffer geredet wird/da thun / so viel heisse als/opfferen pag. 97 Hæc est præcellens illa oratio & gratiarum actio, qua patrem in nomine filii compellamus pro liberatione ab omni malo & impetratione cunctorum bonorum. Nos enim telum hoc in adversarium retorquemus & ab eo meliori jure exigimus ut ex tota Scriptura unicum proferat locum in quo ex professo de Sacrificio agitur, & tamen verbum *facere* sine addito positũ, aliud quã Sacrificare significet. Instantia ex c. xII. Exod. vers 16. nihil operis facietis &c. non est ad rem, quia verbo, *facere* nomen operis, additur; illa ex vers. 28. minoris ad huc momenti, si enim per verbum *Fe-*

cerunt

cerunt, respicitur ad omnia quæ antecedenter præcepta fuerant, ut D. Hannekenius ingenuè fatetur, ergo maximè hoc verbo indigitatur quod imir olaverint phase juxta mandatum vers. 21. Nisi igitur DD. Augustani hanc totius Ecclesiæ orationem liturgicam deterioris esse conditionis velint, quàm alias privatas vel etiam publicas extra Eucharistiam ad Deum fundi solitas preces, negare non poterunt, hanc divinissimam & purissimam precem hierurgicam pro applicandis meritis Christi in ordine ad delictorum commissorum veniam, & charismatum supernorum augmentum indipiscendum vim habere, idque non nisi ex virtute institutionis Christi. Finem huic argumento sanè gravissimo impono subijciendo ex ipsis protestantibus cōfessiones aliquot illustres quibus SS. Patres in tradendo Missæ sacrificio nobiscum, ut illi quidē arbitrantur, errarunt.

Ignatius Epist. ad Smyrnenses: non licet sine Episcopo neque offerre, neque Sacrificium immolare &c. Hoc incommodè dictum esse & non facile explicari posse fatentur Centuriatores Cent. II. cap. 4 S. Irenæus lib. 4. cap. 32. *Novi Testamenti novam do.uit oblationem*, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo *offert Deo*. Satis inquiunt iidem Centuratores *videtur loqui incommodè* &c. paulo quidem post addunt Irenæum sese in sequentibus declarare, quod nequaquam intelligat oblationem *consecrati panis* sed adhuc *consecrandi* &c. Sed probatio est omninò inepta: offerre oportet Deo primitias creaturæ ejus &c. Ergo non panem consecratum. Quasi verò Saeratus panis, præsertim si ex protestantium sententia quoad esse suum substantiale post consecrationem perseveret, non æquè dici possit, primitiæ creaturæ. Est ergo Elenchus non causæ ut causæ. Adde: nova novæ legis oblatio, quam Christus instituit, non potest esse panis & vini, quia talis oblatio sub veteri lege oppidò frequens erat. Hæc autem verba omni fraude & mendo carere, probatur ex perpetuo omnium exemplarium hodie extantium & ex ipsa Basiliensi acatholicorum officina prodeuntium conformitate, & quia ipse Sanctus terribili adjuratione suis scriptis præcavit, ne quis illa adulteraret. Post Augustanam confessionem allegavit ea Hoffmeisterus in loc. comm. fol. 116. Ea nec arrosit Rivetus in suo critico, nec Hottingerus in suo Elencho P. P.

S. Cyprianus lib. 2. Epist. 3. Sacerdotem vice Christi fungi, & Deo patri Sacrificium offerri. Hoc *Cyprianum superstitiosè fingere* fingunt Magdeburgenses.

S. Gregorius Nazianzenus in invect. 1. in Iulianum: mox incruenti *Sacrificij oblatione manum commaculat*. Hæc nova phrasis est Centuriatoribus inclinationem Doctrinæ arguens cent. IV. cap. 4.

B. Eucherius lib. 2. in Genesin: Christus non ex tribu Levi sed ex tribu Iuda ortus est, ex qua tribu nihil de Sacerdotali præcepto accepit: utique propter mysterium Sacramenti, quod Christianis celebrare præceptum est, ut non secùndùm Aaron pecudum victimas, sed oblationem panis & vini, id est corporis & Sangvinis eius Sacramentum *in Sacrificium offeramus*; ibi quippe primum apparuit Sacrificium, *quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum &c.* Hic, Si Centuriatoribus credimus, *incommode* locutus est Eucherius. lib. 2. in Genesin. Hæc Patrum testimonia ab ipsis Centuriatoribus laudata & correcta abundè testantur quàm sit omni priscorum DD. Suffragio destituta abnegatio divinissimi altaris Sacrificii, contra quod tamẽ magis in thesi quàm hypothesi belligerantur. Quicquid enim tricentur DD. Augustani post multas tergiversationes nobis totam causã largiuntur, quando fatentur Patres non immeritò celebrationem cænæ Dominicæ vocare Sacrificium, *ut est Sanctificatiò, consecratiò & dispensatio prout loquitur Chemnitius in 2. part. Examinis concil.* Trid. de missa pag. mihi 169. ubi paulò post ex S. Dionysio ègregiè, explicat quomodo Sacerdos ἱερουργίαν perficiat: panem *indivisum* dividit, & unum poculum omnibus distribuit. Hic quæro quis sit panis ille *indivisus*; Si Substantiam terrenam panis indigitat, vicerunt Sacramentarii, qui soli divisum panem suis distribuunt; si corpus Christi, petitur, quo sensu dicatur *indivisum*? & quanam ratione distribuatur *unum idemque poculum* inter tot millia cõmunicantium apud protestantes? & quo pacto hujuscemodi distributio dici possit præparatio, Sanctificatio, consecratio ut statim subdit Chemnitius? Sanè vel hic *ad mysticam*, attamen *veram* divisionem corporis & Sanguinis in se planè indivisi, quæ per consecrationem panis *separatam à consecratione vini* fit; vel ad Sacramentariorum panifragium Augustanos deflectere oportet. In hoc autẽ tota essentia & anima Eucharistici Sacrificii consistit, quod panis vivus frangitur, & poculum seu sanguis Christi mysticè effunditur in remissionem peccatorum, & hæc non est histrionica sed divinissima à Christo instituta & præcepta repræsentatio. Hanc utinam Augustani tandem aliquando agnoscerent, ut illis Ecclesia omissionem externorum rituum, quæ in nonnullis eorum cætibus per vafriciem Sacramentorum irrepsit, tantò facilius ignoscere posset.

STATUS OECONOMICUS, cuius potissimam partem vulgus hominum constituit, quantum ex dissidio religionis patiatur, nimis clarè constat.

I. Multi ob multiplicitatem religionum omnem exuunt religionem dicuntque, cum tot viri docti de rebus fidei tam diu & acriter dimicent, quis nobis tribuet ut verum à falso discernamus? Omnes itaque Christianas religiones suo

valori relinquamus & ex eventu reique familiaris compendio vel dispendio de veritate religionis statuamus. Fateor plebem in hoc turpiter errare & id quod per *accidens* ex hac religionum varietate provenit, quasi *ex se* inde ortum suum traheret, allegare; interim nec hoc negare possum quorundam Theologorum *irreconciliabilium* altercationibus simplicicibus omnem spem Pacis religiosæ excidere; & cum sibi persuadere non possint, tot viros inter nos subactissimi Judicii, eminentis eruditionis, & tenerrimæ in aliis Conscientiæ, ex malitia Romanæ Ecclesiæ doctrinam ita ferventer propugnare, hinc fit, ut perplexi tandem existiment & nostram Catholicam & suam protestanticam fidei professionem suas habere probabilitates & in earum qualibet salvari posse quotquot in ea à teneris unguiculis innutriti fuêre. Solos illos de salute periclitari qui adultiores ab avita fidei professione ad aliam transierunt; quasi natales sufficecerent ad errores excusandos; & hæc opinio sanè perniciosa in bene multis rudioribus hæret.

Pejor adhuc est hæresis, *Indifferentistarum*, quam eadem Theologorum Protestantiua rixandi libido pepetit; Qui enim ultra plebem sapere volunt, nescio quod religionis migma coquunt, sibi aliisque persuadentes posse sibi quemlibet ex quibuslibet fidei professionibus nonnulla magis certa & vniversim approbata dogmata seligere, quibus firmiter assentiantur: in reliquis verò quemlibet suo sensu abundare permittunt, ipsi verò ab earũ veritate vel falsitate examinanda abstrahunt. Hæc omniũ venenatissima secta in certas classes subdividitur.

Prima eaque Pessima est *Atheistarum*, qui nullas omninò revelationes à Deo factas admittunt, sed iis tantum assentiuntur, quæ intellectus sui lumine nativo perspicere possunt; Horum aliqui licet cum Philosopho Deum esse, tanquam *aliquod problema* verisimile, non exertè negent: tamen nunquam ea certitudine hanc summam veritatem amplectuntur, qua deberent. Nec desunt inter illos qui, in corde suo, quando per oralem blasphemiam pœnæ metu proferre prohibentur, dicunt, *non est Deus*; quos ex nostris doctissimo scripto non ita pridem confixit celeberrimus Theologus gallus M. Charon de tribus Veritatibus.

Secunda Classis est eorum qui sub nomine Christianorum, quo tamen planè indigni sunt delitescentes, sufficere autumant si quis credat.

1. Deum esse.
2. Scripturam sacram in illo sensu, quem cuilibet propria dictat scientia & Conscientia, esse accipiendam.

ex

3. Nullas determinationes in rebus fidei esse attendendas præter eas in qua omnes Christiani consentiunt, puta Christum esse Messiam & verbo, exemplo, morteque sua orbi universo profuisse. sub his ipsi Sociniani passim delitescunt.

TErtia est eorum qui Præter Deum & Scripturæ literam, ipsum quoq Symbolum admittunt, in illo duntaxat sensu quē Christus & Apostoli intēderint; Quis verò illius sensus sit, anxiè inquirere nolunt, multo minus illorū interpretamentis qui post Apostolos vixerunt vel scripserunt, sese adstringi permittunt. Hoc etiam non ex simplicitate sed ex prava quadam affectatæ libertatis præsumptione faciunt, sibi imaginantes, Deo perinde esse quicquid homo in doctrina fidei sentiat; dummodo benè & honestè vivat; hi sub diversis religionibus latitant, solentque ijs, quos in fide sinceros ac ferventes advertunt, his fere verbis in suas retes pellicere: Gott wird nit fragen was du geglaubt/ sondern wie du gelebt hast. Quasi verò non legissent in scriptura. qui non crediderit (sub intellige, fide non ficta & divina) condemnabitur, & apud Apostolum: corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem Rom. c. x. vers. 10.

Neque dicas, hi tales coincidunt cum maxima parte Catholicorum fide implicitâ credentium; sicut enim hi in credendis Ecclesiæ authoritate; sic illi sensu illo scripturæ & symboli quem Christus & Apostoli intenderunt, nituntur.

℞. Toto cælo nostri Catholici implicitè credentes ab hoc explicito hominum genere nequam differunt. Illi enim

1. Explicitè credunt quantum per intellectus sui imbecillitatem capere possunt, & plerumque ore suo profitentur:

A. Deum esse unum trinum.

B. Pro salute nostra incarnatum, passum, mortuum, ad inferos verè delatum, resuscitatum, ad cælos assumptum &c.

C. Ecclesiam Catholicam esse in fidei rebus audiendam; suntque parati omnia credenda, facienda, & omittenda prompto animo ab illa discere, eiusque jussibus obtemperare.

HÆ verò pestes *malitiosè* Spiritum Sanctum in se alijsque exstinguunt, & carnalem libertatem sub pallio Simplicitatis abscondunt; Neque enim vel ipsi in sapientia fidei proficere cupiunt, & alios etiam falsa persuasione, quasi fidei doctrinam scire haut opus sit, retrahunt.

Quarta Classis est eorum, qui Dei revelationem in Scriptura & symbolo agnoscunt; sensum autem Scripturæ certum non nisi in articulis necessarijs haberi posse, contendunt, qui verò illi articuli sint, non omnes eodem modò explicant.

A. Quidam dicunt esse illos quos fere omnes Christianæ nationes pro certis & indubitatis semper & ubique habuerint. Ita Calixtus sed malè. Hac enim hypothesi semel admissa vix ullus esset articulus necessarius. Certè Articulus Trinitatis & Incarnationis, ab illorum numero excludendus esset; Constat enim, quantopere illũ impugnaverunt Arriani, Macedoniani, Nestoriani & Eutychiani, qui suo quique tempore in maximum numerum excreverunt, & subinde Catholicos plurimùm superabant; Et hodie non est Articulus in quo plures consentiant nationes Christianæ quam de

1. Sacrificio Missæ, hoc credunt & toto terrarum orbe summa cum devotione quotidie celebrant Latini, græci, Syri, Armeni, Æthiopes

2. Transsubstantiatione Panis ac Vini in corpus & sanguinem Christi virtute divinâ & per verba ab ipsomet Salvatore nostro præscripta. Hanc firmiter credunt & constanter profitentur Latini, Græci, Syri, Armeni, Æthiopes &c.

3. Gratiâ Dei per Christum partâ & per Spiritum Sanctum in cordibus effusa ita homines evidenter Sanctificari. & justificari ut nihil in ijs sit damnationis, omnes istæ nationes concorditer & indubitanter credunt;

4. Meritis etiam bonorum operum quæ à justificatis simplici oculo h. e. recta intentione fiunt, pari certitudine admittunt &c. nec tamen horum articulorum ullum Calixtus pro vero, nedum pro necessario habet.

B. Alii pro Articulis necessariis ILLOS solummodo habent qui ex obvio Scripturæ sensu à quolibet fideli etiam non literato erui potest. Sed neq; horum opinio subsistit. Nam primò constat in plerorumque Augustanorum, sententia.

a. Articulum de vera & indistanti corporis & sanguinis Dominici præsentia in Eucharistia, *esse Articulum necessarium*, quicquid in contrarium

rum scripserit Calixtus in hoc apertè Calvinianizans. Et tamen æquè certum est hunc Articulum ex obvio scripturæ sensu non potuisse hucusque vel à nobis vel ab Augustanis ita clarè Sacramentariis proponi, ut etiam doctiores illorum exinde sese convictos esse crediderint. Quis verò credat omnes ex positiva malitia in hoc agnitæ suaque luce radianti scripturæ ac veritati contradicere Ego certè non ausim. Potius id ex eo provenire crediderim quod suam explicationē plus satis in nudo & crudo literæ cortice fundent, & nō animadvertant illius medulā ac sensū ex Eccl. per Spiritum Sanctum illuminato consensu esse petendum.

b. Articulus de descensu Christi ad inferos apud multos Augustanos non refertur in censum necessariorum & tamen ex Scripturæ sensu obvio Ephes. IV. vers. 9. descendit primùm (priusquam ascendit) in inferiores partes terræ.

C. Non desunt etiam qui solos illos articulos pro necessariis putant qui ipsum salutis fundamentnm non modo concutiunt sed directè evertunt; & hi utique in thesi rectè opinantur, in hypothesi verò qua pluribus Catholicorum dogmatibus hanc scabiem affricant, turpiter hallucinantur, ut supra part. I. ad oculum contra Turretinum & Maresium ostendimus. Interim quicquid sit de harum dissidentium opinationum probabilitate vel improbabilitate; certum est id genus altercationum rem Christianam apud fideles *ita implicare*, penes infideles autem *in tantum denigrare*, ut sanguine s lachrymis meritò deplorandum sit, per tantum scandalum infirmorum non modò *acceptum*; verùm etiam nō rarò *datum*, viscera Charitatis, quam omnes nos habere gloriamur quotquot Christiani audire volumus, in tam paucis ad hæc commoveri.

II. Alterum malum quod ex Religionis dissidio in vulgus potissimum redundat, est, FIDELITATIS ET DEVOTIONIS, quam Magistratui suo etiā seculari divino & humano *jure* subditi debent, frequens violatio. Nolo hîc in historiæ latissimum campum digredi. Satis enim superque, integrorum regnorum concussiones, imperatorum, regum ac principum à suismet subditis vita ac ditionibus exutorum tragica exempla, intra & extra Europam, hoc testantur; vix enim ulla seditio contra legitimum Magistratum hucusque orta est quæ, Religionis speciosum velamen non obtenderit. Unum idque recentissimum urbis Erfurtensis Exemplum millium loco esse potest. Municipium hoc ad S. Martini Patrimonium spectare totius imperii calculo jam dudum constabat, ejus tamen incolæ quotquot principi suo ac nostro Moguntinensi Electori Serenissimo, divinoque humanoque jure indubitato, recalcitrabant, nulla arte plebem acrius ad rebellionem stimulabant, quàm quod Princeps esset Pontificius eos-

que, si rerum unquàm potiretur, certò certius ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam quocunque tandem modo ac medio esset pertracturus. Non potuerunt hanc malignantium insusurrationem simplicium animis eximere Cæsareæ admonitiones sponsionesque Electorales toties iteratæ & diuturnâ experientiâ probata moderatio; donec cælo terraque benè juvante perduelles ad obsequium reducti in præsentiarum facto contrarium sentiunt manu palpant quam sit rancida illa calumnia quâ Catholicos promiscuè maleferiati quidam petunt, illos corde credere & facto testari: *fidem hæreticis* (sivè fide à Catholica aberrantibus) *non esse servandam*. Culpæ hujus præcipui authores contrarium hodie vel inviti agnoscunt. Faxit Deus ut Clementissimi principis sui longanimitate non abutantur, sed exhibita beneficia, fidelitatis, quam S. Sedi Moguntinæ divino humanoque jure debent, constantiâ promereri satagant. Mementote, quæso, cives Erfurtenses Præpositorum vestrorum SS Bonifacij, Adelarij, aliorumque, qui Erfordiense Emporium *urbem Rusticorum paganorum tum dictam*, Evangelica luce primi illustrarunt, eorum successoribus præpositis & principibus vestris *obedite eisque subjacete* juxta monitum Apostoli Heb. XIII. vers. 7. 17. *Sic confortabuntur seræ portarum & Deus benedicet filiis vestris in vobis: finesque vestros ponet pacem ut* canit Psaltes regius Ps. CXLVII. vers. 2. 3. Nolite credere falsis rumusculis, quibus pacis ac felicitatis vestræ osores aures vestras replere animosque commovere conantur. fore ut ad Catholicæ religionis susceptionem propediem vi sitis compellendi. Hæc nunquam fuit, non est, neque erit unquam mens optimi Principis vestri ac nostri. Dolet utique, ut pote non tam corporum & bonorum vestrorum Dominus, sed etiam animarum vestrarum Pastor vigilantissimus, quòd maiores vestri tanta multitudine ab eo *in quo vocati fuerant in aliud Evangeliũ tam citò sese transferri permiserint*: non tamen vos unquam nisi Spiritualibus armis ad Ecclesiæ unitatem reducere intendit.

Neq; dicas hoc malũ non minus à Catholica quàm à Protestantiũ Confessione promanare. Contrariũ enim totius orbis Christiani Testimonio constat, videlicet, nõ esse, neq; fuisse unquã subditos Magistratui seculari etiam à sua religione alieno eique vel maximè infenso, magis fideles, quàm qui fuere Catholicæ communionis. Altius in historiis hac vice non ascendemus quàm ad proximè præterlapsi & modò currentis seculi res gestas; Nominetur gens aliqua Catholicæ fidei addicta, quæ sub titulo religionis Regem, principem vel Magistratum exauthoravit; prout fecêre in Belgio Batavi; in Bohemia Domini sub utraque; in Germania cives Francofurtenses, Aquisgranenses &c. Quanta passi fuere Catholici

tholici nostri in Insulis Britannicis sub Elisabetha & Jacobo illarum regibus acatholicis. Nullam tamen seditionem publicam unquam concitarunt. In Galliis fuit bellum merè defensivum Regibus à subditis perduellibus extortum. Eadē fuit ratio motuum bellicorum in Germania quos diu multumq; Caroli v. verè Cæsaris Germanici Augustique Europæi clementia præcavere allaboraverat ut ex ipso Sleidano lib. XVII. tom. I. abundè constat. Quàm paternè Matthias & etiam Ferdinandus II. Bohemos & reliquas illi coronæ connexas Provincias à defectione fuerit dehortatus, fideliter recenset ex Protestantibus Joannes Petrus Lotichius lib. I. rerum Germanicarum c. III. n. 12. 16. c. V. n. 5.

Tertium Schismatis Europæi in commune vulgus sese *exonerans malum*, est Matrimoniorum difficultas; sive enim illa consideremus *ut contrahenda*; sive *ut contracta*, & numero, & pondere gravia se produnt mala. *Si contrahenda matrimonia* intueamur, utriusque partis Theologi ea ceu illicita passim reprobant, quod tamen illimitatè acceptum ex utriusque professionis hypothesibus falsum esse liquido constat. Fuerint sub levitica lege mala, quia ob præsentissimum idololatriæ periculum prohibita, quid hoc ad legem gratiæ, in qua nusquam leguntur à Christo vel ab Apostolis exertè interdicta? periculum autem perversionis nō semper adest, sæpe spes est reductionis alterutrius ad fidē. Profanationi Sacramenti quam causat contrahens hæreticus, contrahens Catholicus non magis cooperatur quam v. g. porrigens materiam consecrationis, puta æditunus pixidem cum particulis apponens; vel pænitens in confessione suppeditans materiam absolutionis sacerdoti in peccato mortali existenti & sine prævia contritione absolventi. Prohibitio autem Ecclesiastica in Germania, Gallia, Polonia aliisque provinciis in quibus Catholici hæreticis vel schismaticis permixti cohabitant, nō nisi *nominatim Excommunicatos* & denunciatos ferit, ut bene docent Germaniæ nostræ Theologi Serarius & alii apud Tannerū disp. VIII. de matrimonio quæst IV. dub. 5. Interim cum alii recentiores præsertim Itali Hispani ferè omnes apud Card. de Lugo disp. XXII. de virtute fidei divinæ sect. II. contrarium mordicus tueantur, nec desint qui non modo Ecclesiastico, sed etiam naturali & divino jure huiuscemodi matrimonia non modo *illicita* sed etiam *invalida esse* docent: certè Scrupulum Catholicorum tenerioribus conscientiis movent. Ipsi etiam Protestantes hac in parte meliori sorte non fruuntur; plerique enim ex reformatis suos conjugio Catholicorum interdicunt eaque saltem *ceu illicita damnant*, id quod fusè præstat Polanus in syntagmat. lib. X. c. LIII.

Alia

Alia eaq; gravior est difficultas quæ MATRIMONIA CONTRAHENDA præcedere solet. Quando pars Catholica exigit præviam Protestanticæ actualem conversionem ad Ecclesiæ fidem, prout adhuc nupertimè in duorum magnorum principum conjugio proposito accidisse cognovimus. Cujus occasione merito hic loci quæstio instituitur.

An sponsus vel sponsa Catholici jus habeant exigendi à Protestante sponso vel sponsa, ut ad Romanæ Eccl. communionē potius accedant; quàm vice versa.

Suppono autem in hoc casu utrimque sponsos in sua religione sic esse fundatos ut saltem nullo *actuali Scrupulo* ante, circa illius veritatem fuerint agitati. Esse etiam inter illos æqualem fere notitiam rerum ad fidem suam pertinentium, ita ut neutra pars alteri *per se* in Religionis fundamentis asserendis prævaleat. His suppositis.

Dico I. Sponsum & Sponsam Augustanam habere causas cur potius permittant sibi persuaderi reditum ad communionem Romanæ Ecclesiæ, quàm sponsum vel sponsam Catholicam, ut deserat huius Ecclesiæ unitatem. Rationes sunt hæ:

1. Suscipiens fidem Catholicam non cogitur ejurare ullum Articulum fidei, qui est in ullo Symbolo Apostolico vel æcumenico, qualia sunt in sententia etiam Protestantium Gravveri, Menzeri &c. Symbolum Nicænum, Athanasianum, Constantinopolitanum, &c.

2. Unitur tali Ecclesiæ quæ, si non *ipsis pura*, *vera* tamen est Ecclesia, etiam fatentibus omnibus ferè Lutheranis, & consequenter in qua validus est baptismus, Eucharistia, absolutio, ordinatio.

3. Amplectitur talem fidei professionem in qua plerique majorum suorum & piè vixerunt, & beatè in Domino obierunt, non diffitentibus Augustanæ Confessionis Theologis moderatioribus.

Objicies.

OBjicies I. Auguſtanæ Confeſſioni addictus tenetur credere Articulos neç in verbo Dei ſcripto nec ſupra nominatis ſymbolis contentos, imò ſacræ ſcripturæ dictiſque ſymbolis contrarios.

Reſp. Diſtinguo antecedens; Secundum conſequentias à nonnullis Auguſtanis & reformatis ſcriptoribus præjudicio malæ cauſæ ſuæ laborantibus formatas, tranſeat; juxta fulgorē radiantē & obviū ſcripturæ divinæ vel laudatorū ſymbolorū genuinū ſenſum, conſtanter negamus. Petimuſq; ab Evangelicis hanc ſolā gratiā, ut medio aliquo evidenter concludente nos certos reddant, ſuas, quas ex ſacris literis & ſymbolis nectunt conſequentias, eo ipſo eſſe certas, quia à ſe ortum trahunt & tales ipſis apparent. Nos illorum ſcientiæ & Conſcientiæ, quoad per illorummet principia licet, deferimus; ſed quia totum ſuum cætum fallibilem publicè profitentur, non ægre ferre poſſunt ſi conſequentias humani ſui judicii acrimonia formatas, verbo Dei æquiparare nolimus; cum noſtræ Eccleſiæ Prælatis & Doctoribus etiam in Concilio generali congregatis non plus deferamus, quàm quod decreta & Canones in plenariis Synodis de fide certos edere, ratiocinationes autem, quibus in conſeſſibus deliberativis utuntur, non niſi Theologicæ certitudinis eſſe, unanimiter ſtatuamus. Plus ergo ſibi attribui non exigent à nobis proteſtantes.

Objicies II. Tenetur damnare Articulum juſtificationis de gratuita juſtificatione hominis peccatoris coràm Deo per ſolam fidē in JESUM CHRISTUM.

Reſp. Negamus antecedens. Imò cordicitus credimus & intrepidè confitemur, neminem coram Deo in hac vita juſtificari niſi beneficio ſolius Patris miſerentis, merito ſolo filii ſatisfacientis, & Spiritus Sancti nos, præhabitis diſpoſitionibus ab Evangelio Chriſti præſcriptis, in peccatis mortuos vivificantis, idque non niſi per fidem quæ eſt in CHRISTUM JESUM; qua ſi quis deſtituatur, impoſſibile eſt, ut Deo placeat & ſpem vitæ æternæ ullam, multò minus gratiæ juſtificantis donum obtineat. Vide infra in pleniori deductione Articuli de juſtificatione *appendic.* I.

Objicies III. Tenetur in praxi præter unicum Chrſti Sacrificium in ara crucis pro totius generis noſtri noxis expiandis ſemel oblatum aliud, puta, miſſaticum admittere, & ſic extra unicum Sacerdotem Chriſtum, alios quàm plures apud Patrem interponere ſuæ ſalutis authores.

Reſp. Negatur ſequela antecedentis. Eſto enim credamus Chriſtum in cæna noviſſima corporis & ſanguinis ſui myſtica immolatione ſuis diſcipulis modum præſcripſiſſe repræſentandi & applicandi infinitum illud redemptionis pre-

S tium

tium quod ipse cruenta corporis & sanginis sui mactatione SEMEL acquisivit: per hoc tamen immenso huic valori nihil detractum itur, sed sicut per Sacramenta ab ipso instituta ex fontibus salvatoris gratiæ fluenta suos haurire jussit ad nimarum suarum Sanctificationem, ita voluit ut per magnum hoc suum, ceu mediatoris ac legislatoris sacrificium, mors eius qua Patrem in hora illa novissima glorificaverat, hierurgica illa Panis ac Vini Benedictione seu consecratione juxta ordinem Melchisedech, annuntiaretur, & virtus cruentæ immolationis in remissionem peccatorum applicaretur. Huius Sacrificii Mysta princeps est ipse Christus unus idemque cum illo qui se in ara crucis Patri obtulit, minister verò est Sacerdos mortalis quo mediante, *sive jam illa mediatio sit suppositi, sive virtutis*, Christus sedens ad dexteram Patris purgationem facit peccatorum nostrorum. Hoc quidem præfractè negant Protestantes, sed nobiscum affirmant actuq; publico omnes aliæ profitentur gentes Christi nomen & fidem amplectentes, quos tamen ideò Protestantes ceu idololatras & meritorum Christi contemptores nequaquam traducunt; imò, ea non obstante, eorum communionem jam dudum ambierunt, ut ex Wurtenbergicorum henoticis Epistolis ad Jeremiam Constantinopoleos Patriarcham Græcum scriptis luculentum in modum patuit. Cur ergo missa Latinorum tantum illis est piaculum, quod solum hominem à reconciliatione cum Romana Catholica Ecclesia retrahere debet?

Obicies IV. Sponsus vel Sponsa Protestanticæ confessionis etiam omnia & singula credit, quæ in S. Scriptura & Symbolis æcumenicis comprehenduntur, & subinde Romanæ Ecclesiæ doctrinam nec damnat nec futurum conthoralem ad suam confessionem accedere cogit; Ergo nec talis Protestans in sua Religione turbari debet.

Resp. Non negamus hoc Protestantibus cum consensu Superiorum indulgeri posse, maximè si spes cōversionis ultroneæ affulgeat, & nullū subversionis periculum immineat. Negamus tamen Protestantium ullum reperiri qui in Schismate Lutheri persistens, Articulum illum de una Sancta Catholica & Apostolica Ecclesia in sensū genuino & à Majori meliorique totius Christianitatis parte constanter & unanimiter recepto, teneat. Nobiscum enim omnes orientales Ecclesiæ IN HOC IMO ET PRIMO FUNDAMENTO conspirant, neminem esse Catholicæ Ecclesiæ membrum qui non firmiter credit omnia quæ in certis & indubitatis conciliis æcumenicis conclusa & declarata fuerunt, neque fieri posse ut Ecclesia etiam visibilis in huiuscemodi plenario concilio congregata aliquid erroneum tradat. Hujus autem contrarium hucusque plerique, & non omnes Protestantes audacter tradiderunt. Quamvis enim Calixtus aliique

ocu-

oculatiores & moderatiores primorum quinque seculorum sensum sese magni facere dictitent, nullus tamen eorum in hunc usque diem apertè docuit etiam prima illa quatuor Concilia à S. Gregorio Magno *Quatuor Christi Evangeliis*, quod Doctrinæ certitudinem attinet, *æquiparata*, indubitatam fidei regulam esse. Imò verò totum suum cætum, quem tamen in Ecclesia Christi omnium purissimum vendidant, fallibilem esse ultrò fatentur. Quo autem pacto hæc cum articulo: credo unam Sanctam Ecclesiam Catholicam, cohæreant, ipsi viderint. Nos ad scopum nostrum à quo digressi sumus revertimur, & porrò ostendimus DIFFICULTATEM ALTERAM, quæ ex Religionis dissidio contrahenda Matrimonia gravat. Oritur autem ex præpostero quorundam Protestantium Zelo, quo acti, pacta præmittunt, in quibus Catholicos jurisjurandi Sacramento adstringant, ut proles sui sexus Lutherani in Schismate educare jus & facultatem habeant. Hujuscemodi autem pacta esse impia & irrita omnes nostri Theologi unanimiter affirmant; idque hac invictissima ratione quia omnes parentes jure naturali & divino, ut positivum taceam, tenentur proles suas ad eam fidei professionem inducere, quam à Deo traditam & ad salutem omninò necessariam esse, plenè persuasi sunt. Non dubitandum Protestantium Theologos idem de talibus pactis, quando in professionis suæ præjudicium vergunt, asserere. Interim patiuntur sæpe justi, hoc est, tales qui ex Religionis difficultatibus sese extricare nequeunt, & subinde, imò frequenter invincibiliter errant, *Matrimonia contracta* has patiuntur difficultates.

Sæpe alter conjugum Mœchatur, quo casu in sententia Protestantium *ipsum Matrimonij vinculum dissolvitur*; in sententia autem Catholicorum ad huc perseverat. Casus hic est adulterij quo parti innoxiæ fas esse dicunt ad alia vota transeundi, cum tamē Christus in Evang clarè pronunciet: *quicunq; dimiserit uxorē suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur*, Matth. xix. vers. 9. Certè nostri ex his verbis ita constringunt Protestantes ut ut quo se vertere possint, non habeant. Vel enim ductio alterius uxoris omnis hic ceu adulterans prohibetur, vel tantum extra casum fornicationis. Si prius: habemus intentum & apparet insolubilitas vinculi Matrimonialis. Si posterius, non probatur ex textu neque ex locis parallelis Marc. x. vers. 12. Luc. 11, 12. Luc. xvi. vers. 18. imò prius illud inde evincitur & universim, aliam uxorem, vel dimissam ducere, prohibitū esse. Ita collegit jam olim S. Augustinus hoc nomine à Brochmanno erroris postulatus. Locū Pauli Rom. vii. vers. 3. *vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum viro alio &c.* sua luce radiat & Trident. sess. xxiv can. 6. Sanctionē confirmat. Ex praxi autē doctrinæ Protestanticæ sequentia mala sequuntur.

1. Datur occasio alterum conjugem calumniis gravandi, ut sic vinculo ma-

trimoniali se expediant. Quod nunquam essent facturi, si sana doctrina de *insolubilitate* Matrimonij perennaret.

2. Etiam in casu veri adulterij commissi impeditur reconciliatio, quæ apud Catholicos oppidò frequens est.

Dices. In sententia Catholica pars innocens debet æquè, & aliquando magis pati quàm nocens.

℞. 1. Facile huic malo obviari potest, si Magistratus secularis Iustitiam punitivam exerceat. 2. Etiam in sententia Protestantium varii occurrunt casus in quibus innocens conjux propter conthoralem pati debet. Neque tamen propter illos tollitur vinculum Matrimonii. Longè graviora sunt incommoda quæ communitati accrescunt ex sententia Protestantium.

LIBER TERTIVS
ostenditur quàm sit
VNIO ET PAX
Augustanorum Protestantium
cum
Sacramentariis
Impossibilis & perniciosa.

N. I.

QUàm nulla possit intercedere piis & orthodoxis communio cum manifestis & blasphemis hæreticis ipsum salutis nostræ fundamentum evertentibus, non indiget prolixiori probatione. Clamat enim tota Scriptura: Hæreticum hominem post unam & Secundam correptionem DEVITA, Tit. III. Vers. 10. Nolite recipere in domum nec AVE ei dixeritis II. Joh. 1. vers. 10. Ideò majores nostri Catholici veteres, ad quos *de jure*, nos qui Romanæ Ecclesiæ communione fruimur, protestantes ante Augustani *de facto* se referunt: sollicitè admodum caverunt, ut nihil commune haberent in Sacris cum notoriis & publicè damnatis hæreticis; tales autem esse illos qui à Calvino passim Calviniani in Germania; in Belgio Geusii, in Galliis Hugonottæ, in Anglia Puritani nominantur, ubique verò Sacramentariorum cognomento indigitantur: ex Sequentibus Sole meridiano clarius elucescet.

A. Quicunque fundamentales articulos tollit, is Fundamentum subruit. Fundamento autem everso, cadit fides, cadit religio, veritas Ecclesiæ evertitur. Ita ex ipsis reformatis Curtius in dissert. De Fundamento salutis sect. 5.

Atqui cætus reformatorum non unum sed plures articulos fundamentales tollit. Ergo.

Mino-

Minorem ex hypothesibus non nostris sed ipsius Curtii præstabimus.

Cætus reformatorum apertè & crudis verbis Sequentibus articulis fidei necessariis contradicit;

A. Deum Patrem totum mundum animitus diligere, & Seriò velle ut omnes quotquot nascuntur per fidem veram ac percharitatem operantem Salvi fiant, est omninò necessarius ac momentosus fidei articulus, hunc tamen apertè & crudis verbis negat totus cætus reformatorum; neque ullus pro genuino reformato haberi potest, qui neget Deum majorem hominum partem absoluto & efficaci reprobationis decreto à salutis æternæ adeptione exclusisse. Piget testimonia tam à nostris quàm ab augustanæ confessionis Theologis toties producta denuò adscribere,

Quamvis enim in Synodo Dordracena crassiores blasphemiæ Calvini, Bezæ, Piscatoris & aliorum rigidiorum Prædestinatianorum, quorum choragum tunc in belgio Gomarus agebat, fuerint suppressæ; &, si Maresio fides haberi possit, in Academia Groningensi authoritate publicâ refixa fuerit disputatio de objecto prædestinationis quæ contra mentem dictæ Synodi supra lapsum Adami in illo assignando ascendebat. Non tamen latere potest orbem Christianum qualiter etiam post dictam Synodum Maccovius in Franckerana & in aliis publicis Reformatorum Scholis Antelapsariorum, ut illos Voetius Ultrajectinus professor nominat, mordicus sustinuerint. neque ulla publica protestatione unquam Reformati nefandum hoc dogma damnarunt.

Cum in Ecclesia Catholica nonnulli Theologi ex Augustino Iprensi ad huius paradoxi lapidem aliqualiter duntaxat offendissent Deumque omnibus Sufficientem gratiam pro salutis acquisitione impertiri, negassent, mox ab Apostolicæ sedis Antistite Innocentio X publicè hæc eorũ opinio rejecta fuit. & quidè ipso Calixto teste, in hoc fundamentali articulo de æterno vero & Sincero amore quo totum mundum Deus Pater complexus est, à tempore Hunnii, Menzeri & aliorum Augustanorum Theologorum tempore Catholicos inter & Augustanos nulla super est controversia.

B. Filium ea intentione carnem assumpsisse ut per proprium Sanguinem propitiatio fieret PRO TOTIUS MUNDI PECCATIS tam actualibus quàm originalibus; Hic articulus complectens fidem in Iesum Christum agnum Dei tollentem peccata mundi eandemque per Charitatem complectentẽ, sic est universalis ut omnes alios in se aliquomodo contineat. Ideò illi meritò genuina veræ Ecclesiæ membra declarantur, atque adeo TOTUM SALUTIS FUN-

 DAMEN-

DAMENTUM TENERE asseruntur qui istum articulum Sincerè & sine fraude profitentur.

Ergo à contrario qui articulum NON SINCERE SED CUM FRAUDE profitentur TOTUM SALUTIS FUNDAMENTUM abjiciunt nec germina veræ Ecclesiæ membra esse declarantur.

Iam videamus quàm sincere hunc articulum teneant reformati;

Dicunt aliqui illorum, & quidem sinceriores sunt, esse erroneum & plusquam falsum, imo blasphemū statuere quod Christus pro omnibus hominibus redimendis passus aut mortuus sit. Ita Beza publicè in colloquio Mompelgart à nemine suorum hucusque vel verbulo redargutus. In Synodo Dordracena per deputatos ex Frisia in jud. provinc p. 145 repētita fuit hęc execrabilis doctrina sequentibus verbis: rejicimus ut peregrinam & portentosam Theologiam ex locini & Pelagii fecibus haustam, Christianis fidelium auribus & pectoribus intolerabilem, utpote qua omnis Salutis ratio in scripturis tradita detestandum in modum corrumpatur, pretiosissimus filii Dei Sanguis penitus enervetur ac proculcetur; filius Dei revera in titularem ac occasionalem Servatorem transformetur ac cōstituatur servator sine salute, redemptor sine redemptione, novi fœderis fidei, Justificationisque natura horrendis modis conspurcetur, omnibusque salus reipsa reddatur impossibilis; ad quæ verba merito exclamat Ioha. Schwartz Augustanæ Confessionis in Pomerania acerrimus assertor in Scripto suo: Abgesagte Toleranz oder verträglichkeit der Calvinische Lehr: heisset das mit den Lutheranern in grundt des Glaubens eins sein? heisset das mit den Lutheranern eine Bruderschafft machen wollen? Solche Bruderschafft / sage ich mit recht / hole der Teuffel: & ne quis reformatorum nobis regerat hunc Josuam Schwartz hæc verba ex privato suo, quo contra reformatos accensus erat, æstu despumasse, Totius facultatis Theol. Wittenbergensis Epicrim adjungimus in qua, Curtio Marpurgensi teste, hæc habentur verba: Porrò cùm Christum cum suo merito fundamentum esse salutis, extra quod nullum aliud poni possit, aut sub cælo detur è Scriptura certum sit, QUOMODO NEGARI POTEST IN FUNDAMENTO SALUTIS ERRARE CALVINIANOS, qui negant meritum Christi universale, imo substituunt ALIUD FUNDAMENTUM FIDEI ET SALUTIS, gratiam Dei & Electionem absolutam citra [illegible] meriti Christi factam. Denique NON POTEST ALIA RATIONE FUNDAMENTUM FIDEI ESSE MERITUM CHRISTI, NISI QUA UNIVERSALE EST, Nam fides nihil aliud est, quàm apprehensio & applicatio meriti Christi, quod nemo fidelium in verbo Dei apprehendere, sibique applicare

care poteſt, NISI VNIVERSALE SIT ET AD OMNES PERTINEAT. Quomodo enim credere poſſum Chriſtum ſe tradidiſſe pro me, niſi credam & certus ſim, Chriſtum ſeſe pro omnibus hominibus tradidiſſe.

2. Alii vafritie Calviniana celebres Pareus, Crocius uterque, ambo Bergij cum bene multis aliis, Scholaſticorum noſtrorum diſtinctionem bona fide & ſano ſenſu poſitam *quod Chriſtus ſufficienter ſit mortuus* pro reprobis *efficaciter autem* pro electis, peſſimæ ſuæ doctrinæ callidiſſimè applicant & fraude planè acherontica. Scholaſtici noſtri per terminum, *Sufficienter*, intelligebant auxilium gratiæ ſufficiens quod Chriſtus præſcitis morte ſua acquiſiviſſet, & cujus uſura ſalvari potuiſſent, dummodo voluiſſent. Novi autem iſti Borboritæ reſpexerunt ſuo, *Sufficienter*, non ad animum benedicti Salvatoris, ſed ad valorem pretii quod quidem in ſe valuiſſet pro totius mundi peccatis expiandis, non fuiſſe tamen eo animo à Dei filio expenſum. Si hic fraudem non videas, cæcior talpa ſis oportet. Et tamen ita depuduit poſt Turretinum, & Mareſium adhuc Curtius ille neo-Marpurgenſis errorum gebenenſium promachus, ut auſit ſcribere Romanenſes SATISFACTIONEM EQVIDEM CHRISTI pro peccatis profiteri ſed & eandem evertere, dum propriis meritis, imò & alienis aliorum præterquàm Chriſti unici Salvatoris Satisfactionibus expiationem peccatorum & averſionem pœnarum plurimum tribuunt. Quis hic non exclamet cum S. illo præſule: Bone JESU in quæ nos reſervaſti tempora! Quouſque furor hic adverſariorum noſtrorum ſuccreſcit! An neſcis quoties à noſtris putida hæc cavillatio ſit retuſa? Merita noſtra non dicuntur noſtra ſive propria quaſi non fluxerint ex illo plenitudinis fonte de quo accipimus gratiam pro gratia. Neque alia de cauſa alienis Sanctorum aliorum Satisfactionibus vel minimum attribuimus quàm quatenus juſtificati ex fide, quia Chriſtus diffuſus eſt in cordibus eorum per Spiritum Sanctum qui datus eſt eis Rom. v. verſ. 5. gaudent in Paſſionibus pro aliis, & adimplent ea quæ DESVNT PASSIONVM CHRISTI, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia Col. c. 2. verſ. 24. Cum enim Chriſtus non tantum in proprio & naturali corpore ſuo voluerit pati pro Eccleſia, ſed etiam in myſtico ſeu excellentioribus membris corporis ſui myſtici, ſine dubio etiam illis Paſſionibus virtutem attribuit applicandi merita & ſatisfactiones quas in proprio corpore ſuo noſtra vice ipſe præſtitit.

C. Doctrinam reformatorum de *gratia converſionis irreſiſtibili* non uno nomine FIDEM SALVIFICAM EVERTERE TANTIQVE MOMENTI ESSE, quanti ulla alia & Wittenbergenſes in Epicriſi & Lipſienſis Hullemannus & Argentoratenſis Fauſtius confidenter aſſeverant apud Curtium ſect. vii. §. xxxii.

Ergo

Ergo quamdiu reformati in hoc errore pertinaciter persistunt, sine apostasiæ ab Augustana confessione, crimine, Evangelici cum Calvinianis coalescere nequeunt.

D. In doctrina vero Sacramentaria reformatos ipsam medullam virtutis quam Christus eorum author illis indidit hæretica sua interpretatione exsugere, constanter omnes genuini Augustanæ confessionis sectatores nobiscum affirmant; Nam in Baptismo

E. Actualem gratiæ regenerantis collationem etiam in infantibus NON SEMPER CONJUNCTAM ESSE CUM MOMENTO SUSCEPTIONIS BAPTISMI audacter pronunciant Hoc tanquam hæreticum meritò damnant Wittenbergenses in sua Epicrisi, Argentinensis Dorschæus differt. de Christi Baptismo thel. 59 ex c. 3. vers. 27. Epistolæ ad Galatas; cujus vestigia legit novissimè Faustius Siren. Part. II pag. 84.

Conatur quidem D Curtius hanc labem Sacramentariam suis per hoc abstergere quod, per hoc tantum Spiritui S. suam in operando libertatem assertam cupiant. Verumenim verò, non indiget almus ille Spiritus calvo hoc Calvinianorum patrocinio. Se ipsum adstrinxit huic medio quando in Scriptura exertè pronunciat: nisi quis renatus fuerit &c. Joh. III. & ad Tit. c. III. vers. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* &c, quotquot igitur asserunt Spiritum S. & ante Baptismum & post Baptismum etiam in talibus infantibus regenerationis gratiam operari, tot negant Baptismum esse medium *ordinarium* regenerationis.

Neque evadit Curtius dicendo Sacramentalem receptionem hominis baptizati in fœdus Dei fieri in ipso actu administrationis & Susceptionis Baptismi, ita ut baptizatus VI SACRAMENTALIS HUIUS ACTIONIS obligetur Deo ad obsequium &c. Deusque vicissim obligei homini AD GRATIAM, qua illum in filium habere atque ei gratis propter Christi meritum peccata remittere ac Salutem donare velit. Primo enim hac mutua hominis cum Deo, Deique cum homine transactione & stipulatione invertitur absolutum illud justificationis & salvationis fundamentum quod Calviniani à decreto Electionis absoluto, Augustani verò à fidei universalis Christi meriti huic vel illi appropriantis conditione, suspendunt.

Secundò nescit scriptura hoc Sacramentariorum figmentum de obligatione Dei ad gratiam conferendam extra usum Sacramenti *in re* vel *in voto* saltem suscepti. Paulus clamat: Salvos nos FECIT per lavacrum regenerationis, non dicit, salvos nos FECIT antequam lavacrum hoc susciperemus; neque salvos nos FACIET post susceptum lavacrum.

Tertiò

Tertiò causa cur reformati nolint gratiæ collationem momento susceptionis Baptismi alligatā non est alia, quàm ut illisa illæsaq; maneat eorū hæresis asserens,

1. totam regenerationem ex asse produci à Spiritu Sancto, Elemento verò & verbi administrationi præter usum *Significandi, repræsentandi & obsignandi* NIHIL RELINQUI: id quòd bene advertit Argentoratensis Theologus Faustius.

2. Regenerationis gratiam nulli infanti conferri, qui extra Electorum numerum constitutus est. Memini aliquai do Crocium Cassellensem valdè se torsisse ut cuidam Studioso cathegoricam resolutionem exigenti, num ullus infans non electus unquam fuerit per Baptismum regenitus, satisfaceret. Ille sic arguebat.

In tali casu vel defectus erit ex parte Dei nolentis in infante baptizatorā operari, vel ex parte Suscipientis baptismum, vel ex parte ipsius baptismi collati. Si primum, Ergo Deo acceptam ferre debet infans suæ regenerationis defectum; si namque voluisset, regeneratus utique fuisset. Si secundum, Ergo nullus infans regenerabitur. Omnes enim originali peccato infecti & iræ filii ad susceptionem baptismi perçquè sibi relicti sunt indispositi & tamē per hoc Sacramentum quod Catholicis Theologis inde dicitur *Sacramentum mortuorum*, vivficantur. Si verò tertium attendatur, supponitur in casu nec ex parte conferentis nec in ipsa collationis materia vel forma defectum substantialem esse commissum.

Quod ad hæc Crocius reponeret non habebat aliud, quàm Dei judicia esse nobis occulta, & Spiritum Sanctum non esse præcisè ad hoc medium alligatum. Sed hæc responsio difficultatem non explicabat, sed potius magis implicabat: quia ter Optimum Deum terque Maximum damnationis hujuscemodi Pusionum reum arguebat.

b. Reformatos Sacramentalem corporis Christi sub Pane (nos panis Schema credimus Eucharistico, & Sanguinis Christi sub vino Benedicto (Nobis est vini species) perceptionem PRORSUS INFICIANDO, adeoque pro medio directo ad Spiritualem manducationem & bibitionem MINIME habendo capitalē errorem errare, omnes sinceri Aug. Confessionis sectatores agnoscunt. Hinc etiam, ut ipse Curtius infert, proculdubio conficere & ostendere volunt, reformatos IPSUM FUNDAMENTUM Doctrinæ Salutaris in Articulo de sacra cæna NECESSARIÆ EVERTERE, cum manducationem huic Articulo propriam non agnoscant, imò publicè negent. Sed audiamus novas artes quibus se suosque ab Evangelicorum anathematismo præservare conatur Curtius.

Supponunt (Lutherani Curtio viri celeberrimi) ORALEM MANDUCATIONEM CORPORIS, ET BIBITIONEM SANGUINIS CHRISTI una

cum Pane & Vino esse illam propriam, quam reformati verbis institutionis contineri vel mandari negant.

Ita est Domine Curti; Esto enim negent Augustani modum hujus oralis manducationis esse talem, quali aliàs os tanquam naturalis corporis naturale membrum naturalem cibum & potum sumit, fine à naturâ præstitutâ, tamen medium esse sumptionis quo non Panem vel calicem solum sed Corpus & Sanguinem (in Lutheranorum opinione unà cum Pane & Vino; ex fide autem Ecclesiæ sine Panis Vinique substantia) partcipamus omnes nobiscum affirmant.

Causa ergo ob quam reformati FVNDAMENTALIS ERRORIS jure pulsantur est quia per verba:

EDITE, BIBITE Christum non nisi Panis ac Vini esum & potum mandasse mordicus tuentur. ET quamvis nec nos Catholici neque Augustani statuamus Corpus Christi IMMEDIATE ORE CORPORIS esse sensibiliter perceptibile, tamen utrimque cordicitus affirmamus illud quod *Ore Corporis* sumimus & haurimus esse ipsum Corpus & Sanguinē Domini nostri JESU CHRISTI vivum atque vivificum. Fundamur autem in verbo benedicti Salvatoris, quando ait: Hoc est enim Corpus meum &c. non enim per hæc verba *nudam differentia finis*, ob quem hic cibus ab alio esset sumendus; sed *ipsam cibi*, quem discipulis porrigebat *precellentiam* indigitare voluit.

Et hæc oralis manducatio non magis impedit Spiritualem divinissimi pignoris cælestis sumptionem quàm externa corporis ablutio internam animæ expurgationem in Baptismo. Quinimò sicut hæc in regenerationis lavacro per ipsum Elementum in verbo vitæ perficitur; ita etiam Christi corpus & sanguis verbo Christi Sacratus sumitur simul & semel quando id quod Panis vinique speciem præsefert, immediatè ore corporis sumitur.

Sed audiat orbis Christianus quàm lepidum hic evadendi modum sibi D. Curtius post Hornbeckium Batavum quærat.

Posito, inquit p. 171. quod negatione oralis manducationis errent reformati suo tamen errore efficere non possunt, quominus corpus Christi in sacra cæna ORALITER ab omnibus comedatur. siquidem christus eâ ratione omnibus id manducandum cum Pane sistat & absolutè præstet.

Primò namque hæc elabendi rima nimis est omnibus etiam teterrimis hæreticis pervia. Pari enim modo dicat Socinianus, posito quod negatione divinitatis & satisfactionis Christi erremus, nostro tamen errore nunquam efficere poterimus, quominus Christus sit consubstantialis Deo Patri filius & quem Deus Pater præstiterit, ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius Rom. III. versi

verſ. 24. Ergo Sociniani negando Chriſti Deitatem & ſatisfactionem non errant in Articulo fundamentali.

Et quamvis nullius creaturæ in cælis vel in terra virtute vel impietate contingere poſſit, ut illud quod Chriſtus ſemel inſtituit, invertatur; non tamen per hoc excuſari poſſunt vel debent, qui conatu ſuo licet irrito Teſtamentum filii Dei falſificare præſumunt, impiè negando verba Chriſti: hoc eſt corpus meum, promiſſionem veræ & realis præſentiæ & Κοινωνίας in ſe complecti. Nos verò Catholici cum Auguſtanis in ipſo fundamento, quod eſt ſcriptura, in hoc dogmate Chriſtiano ex aſſe convenimus & firmiter credimus.

1. Verbum Dei illud eſſe quod hoc Sacramentum conſtituit & diſcrimen facit, ut non ſit merus Panis & merum Vinum, ſed ut hæc Chriſti corpus & ſanguis SINT ET DICANTUR quæ ſunt Lutheri verba Curtio teſte p. 177. in formula Concordiæ repetita.

2. Hunc cibum, puta carnem & ſanguinem Chriſti ex eius ordinatione eſſe inſtitutum pro ſalute & incremento fidelium & regenitorum; in iudicium verò & damnationem impiorum juxta hymnodiam Eccleſiæ.

Sumunt boni ſumunt mali
Sorte tamen inæquali
Vitæ vel interitus.

3. Neque aſſerimus in hoc Sacramento abſque fide corporis & ſanguinis dominici ſumptione quicquam prodeſſe, obeſſe verò plurimum ultrò largimur.

4. Quod verò myſticam corporis & ſanguinis dominici oblationem in Euchariſtia attinet, in ea impugnanda ſtrenuos ſeſe præſtiterunt contra nos tam reformati quam Auguſtani; interim extra æſtum contentionis ex ipſis reformatis non deſunt, qui ingenuè agnoſcant, poſitâ reali & indiſtanti corporis & ſanguinis præſentia & oralis manducationis veritate, & poſſe & debere Chriſtum adorari Deoque patri offerri. Ita Joannes Bergius Electoris Brandeburgici Eccleſiaſtes aulicus in conc. 23. de Miſſa ſenſit & publicè ſcripſit: So lang ſie (Lutheriſche) das gedicht der Leiblichen anweſenheit im Brodt behaupten / ſo werden ſie ſchwerlich erhalten/daß es dem befohlenen brauch zu wider oder verbotten ſey / denſelben auch im Brodt anzubeten / und als jhren Schöpffer (cur non potius, als jhren Erlöſer) dem Himliſchen Vatter vor zu halten und zu bitten / daß er jhnen umb dieſes Chriſti willen/ der im Brodt iſt/ und im Brodt von jhnen gegeſſen wird / gnädig ſeyn wolle. Ja es were viel mehr unrecht/ wenn ſie jhn im Brodt/ ſo lang Er da iſt nicht anbetten/ und umb ſeinet willen Gnad und Vergebung nit bitten wolten ꝛc. infenſiſſimorum itaque hoſtium noſtrorum ſuffragio realis corporis Chriſti præſentia eiuſdem oblationem poſt ſe trahit.

B. Quicunque cætus Doctrinas fovent in Articulis Augustanæ Confessionis apertè damnatos, cum illis Syncretismum inire bona Conscientia nunquam poterunt Augustanæ confessionis asseclæ.

Tales sunt cætus reformatorum. Ergo.

Dices si major huius syllogismi vera est, Ergo neque cum Catholicis Augustani in unitatem fidei coalescere unquam poterunt.

In pluribus enim Articulis vos Catholici discrepatis ab Augustanis quàm reformati.

Respondetur.

1. Non diffitemur plura in Augustanam confessionem irrepsisse quæ vix & ne vix quidem cum orthodoxia fidei Catholicæ consistere possint; negamus tamen ullum esse Articulum in quo ita directè fides Catholica fuerit damnata, quemadmodum in Articulo II. V. IX. X. XII. hæreses reformatorum fuerunt rejectæ.

In Art. XIII. dicitur quidem, damnant illos, qui docent quod Sacramenta *ex opere operato justificent*; additur tamen hæc clausula salutaris: nec docent fidem requiri in VSV SACRAMENTORVM; certum enim est in sententia Augustanorum omnium Sacramenta vim habere à Christo institutore inditam quæ ceu organa concurrant ad nostram justificationen; nulli tamen prodesse qui positivum obstaculum ponit. Baptismus autem in infantibus fidem non supponit, sed ponit atque sic terminus ille, *ex opere operato* hoc est vi illius operis cui Christus author gratiæ, gratiæ collationem ceu medio ordinario alligavit sanùm sensum admittere posset etiam salvâ Doctrinâ Augustanæ confessionis.

2. Discrimen insuper est oppidò manifestum inter reformatos & Catholicos quando Augustanæ confessioni contradicunt Imprimis respectu materiæ in qua ab invicé discrepamus; Est ea ut plurimùm in rebus, stantibus ipsorum hypothesibus, non usque ad eò momentosis sed majorem sui partem ut supra vidimus in rebus accessoriis ad fidem. Vnum & Viginti Articulos dogmaticos continet Confessio, nec tamen est ullus in quo cum fide Catholica tanta sit & tam aperta pugna, quanta in omnibus ferè est cum Calvinianis, ut ad oculum demonstrat Balthasar Menzerus inter Augustanos celebratissimus in Exegesi Augustanæ confessionis.

C. Qui

C. Qui *in imo ac primo fundamento* ſpei ſeu fiduciæ ſalutis ab invicem *diſcrepant*, nullo *Syncretiſmo coaleſcere* poſſunt.

Tales ſunt Auguſtani & reformati; Ergo.

Majorem ceu indubitanter veram ſuppono. Minorem ita pono:

Iuxta genuinos Auguſtanæ confeſſionis Sectatores in Epicriſi Wittenbergenſi pag. 49. 50. Meritum Chriſti non poteſt *alia ratione* fundamentum fidei eſſe, niſi *qua univerſale*. Nam fides nihil eſt aliud quàm apprehenſio meriti Chriſti, (*ut illi quidem opinantur*) quod nemo fidelium in verbo Dei apprehendere, ſibique applicare poteſt, *niſi univerſale ſit & ad omnes pertineat*. Quomodo enim credere poſſum Chriſtum ſe tradidiſſe pro me, niſi credam & certus ſim, Chriſtum *ſeſe pro omnibus hominibus tradidiſſe*.

Sed pro hoc univerſali Chriſti merito credendo nullam ſufficientem rationem reformatos videre crudis & nudis verbis aſſerit Curtius pag. 233. Ergo in eo ab invicem diſcrepant.

Nos hac in re cum Auguſtanis Fundamentotenus conſentimus & non tantum lubentes largimur: Si gratia eſt univerſalis & Chriſti ſatisfactio *pro omnibus & ſingulis hominibus eſt præſtita*; tum unumquemque in individuo ſubſumere poſſe, iſta ad ſe quoque pertinere: Sed etiam, quod impudenter, ne dicam blaſphemè, negat Curtius, ad fidem ſalvificam plurimùm facere, & inde plurimum ſolatii redundare. Quamvis enim ex univerſali redemptione Chriſti, nemo *abſolutè* ſui juſtificationem & ſalvationē inferre poſſit; poteſt tamen exinde in eam ſpem erigi quam S. Paulus Rom. v. verſ. 10. explicat: Si cum inimici eſſemus, *reconciliati ſumus Deo per mortem filii eius: multò magis reconciliati, ſalvi erimus in vita eius.* In quibus verbis per reconciliationē cum Deo, non juſtificationis actualem collationem (ut etiam ex noſtris aliquot recentiores interpretantur) ſed illius ab æterno præcognitionem indigitat. Hoc ex S. Auguſtini diſcurſu quem lib. 13. de Trinit. c. 10. ſuper hæc verba format colligimus. Ibi enim docet alio quidem modo Deum *potuiſſe genus humanum liberare*, miſeriæ tamen noſtræ ſanandæ alium convenientiorem non fuiſſe, nec eſſe oportuiſſe. Totus ergo ſcopus ad quem collimat Apoſtolus eſt iſte: Deus nos conſideravit in Chriſto & à Chriſto redimendos & hic ſolus reſpectus jam ab æterno ſuffecit ad tollendam indignationem quam peccato ſuo primus omnium parens erat promeriturus; eadem Chriſti redemptio jam actu præſtita ita promiſcuè

omnes Deo reconciliat, quatenus justiciæ per eam satisfactum est, eisque potestas filios Dei fieri, ut loquitur Ioannes c. 1. facta est, dummodo credere in nomine ejus sint parati & gratiæ donum ad hoc necessarium atque sufficiens, non respuant.

Si verò à contrario quis credat *non omnes omnino homines taliter esse Deo Patri reconciliatos* sed *admodum paucos*, idque ex nudo Dei beneplacito, nec habita ulla fidei vel pietatis ratione; quid aliud inde quam perpetua cordis anxietas & finalis denique desperatio oriri potest? Experti fuère non pauci ex reformatis post Calvinum horridi & horrendi huius decreti assertorem primarium.

Neque tamen ex merito Christi universali inferre licet quod ex Augustanis nuper D. Nisanius in vindicatione suæ exercitationis de fide actuali infantium contra nos intulit pro certitudinis suæ de salute evidentia pag. 49.

A Quicunque in filium Dei credit, ille habet vitam æternam.

Ego credo in filium Dei. Ergo.

Quamvis enim major propositio sit ipsius Sp. S. Ioh. III. vers. 16. Non tamen est absoluta sed æquipollet huic conditionatæ. Si ego credo (fide vera & viva) in filium Dei, habeo vitam æternam (subintellige, *in spe, nondum tamen in re*) sub hac autem conditionata non comprehenditur hæc singularis (*Ego Nisanius credo*) Ergo nulla consequentia. Sed instat Dn. Nisanius:

Generale suum includit speciale.

Sed promissio est generalis:

Ergo includit suum speciale.

Resp. Concedo totum. Non tamē probatur subsumptum: Ergo (ego Nisanius credo) est ILLUD singulare. Est enim propositio cathegorica, quam hæc hypothetica nec includit nec ponit. Male etiam absoluta propositio ordinatæ opponitur. Opponitur enim non nisi conditionatæ.

B. Probat ex Symbolo Apostolorum. *Credo remissionem peccatorum*; hæc enim assumptio licet non sit fallax in mente Catholicorum, ut falsò nobis impo-

impingit Nisauius non est tamen accipienda eo sensu, quē ille huic articulo affingit, Ex antecedenti enim articulo: *Credo S. Ecclesiam Catholicam &c.* colligi debet Apostolos hoc articulo docere voluisse potestatem remittendi peccata Ecclesiæ esse commissam.

C. Fideles certo sciverunt se credere. Ergo etiam Nisanius.

Resp. Distingno antecedens: omnes promiscuè fideles sciverunt certitudi- fidei, negatur. Aliqui ut David psalm. 115 vers. 1. Apostolus Ioh. vi. vers. 69. Paulus Gal. II. 16. Transeat, sed quid hoc ad Nisanium qui nec Apostolus neque ullo alio modo est in Scriptura nominetenus expressus.

Instat.

Etiam quando David dixit: *credidi propter quod locutus sum &c.* non erat in Scriptura. Concedo antecedens. Ergo etiamsi hodie non sit in scriptura, *Nisanius credit*, tamen æquè pro vero habendum, quam illud Davidicum fuit habitum, dum à Psalte primum proponeretur. *Negatur consequentia.* Disparitatis autem hæc est ratio. Quia illud: *Credidi propter quod* &c. immediatè à Spiritu Sancto proveniebat. D. Nisanii autem: *credo in filium* Dei, ipso teste, est ex examine cordis sui in quo aliquid humani pati potest.

N. II.
Syncretismus cum reformatis est Augustanis IGNOMINIOSUS.

A. Quia per hunc Syncretismum Lutherum, primarium suorum cætuum authorem, publicè confunduntr; quando hoc quod ille usque ad ultimum halitum constanter recusavit, hodie committent. Admisit ille Bucerum & alios in Suevia semizuinglianos, sed non ante, quàm blasphemum errorem Sacramentarium ejurarent. Fatetur hoc Bucerus ipse in Epist. ad Lutherum Anno. 1544. 9. Octob. data quæ, teste Dannhawero extat in bibliotheca Argentinensi ubi sic compellat Lutherum: Reverende Pater &c. Nos, qui concordiæ formulam à vobis conscriptam, amplexi sumus, *in agnita Veritate* ad unum omnes persistimus &c. Spargant equidem passim Calviniani Lutherum in colloquio Margpurgensi à sua sententia in Zwinglii opinionem concessisse; sed hoc negat prælaudatus Dannhawerus in tract. dicto prob des Frieden gruses pag. 146

B. Cal-

B. Calviniani hoc suo Syncretismo eo magis insolescent, quò minus agnoscunt in suis cœtibus aliquid esse vel unquam fuisse, quod erroris aut abusus speciem redoleat. Nunquam enim Sacramentarii Spiritus supercilium eo usq; se demittet, ut sibi aliquid correctione dignum adhærescere agnoscat. Augustanos ad suam cœnam sese admissuros subtlesti illi in Gallia Hugonotti in conciliabulo Charentonensi Anno 1631. declararunt; nullibi tamen suis indulsisse leguntur, quod possint cum Augustanis communicare absque protestatione quod non consentiant in errores, ut ipsi statuunt, *oralis manducationis*, omissi panis fragii &c. Ergo nullum meditantur Syncretismum vobiscum, nisi ad confirmadum suos, quod cœtus Augustani *reliquias errorum pontificiorum* retinuerint; illi verò ab his penitus sint defæcati. Cum non detur lutum magis fœtidum, quàm illud, in quo hæret grex Gebennensis.

C. Sumant exemplum in Arminii discipulis, qui licet ex ovis Calvini prodierint, erubescunt tamen cum Calvinianis Borboritis denuò coalescere, propter nimis blasphema Prædestinationis & Reprobationis absolutæ dogmata. Ecclesia Anglicana, Bremensis & aliæ in Germania, non sine rubore unionem cum Synagoga Tigurinâ & Genevensi retinent; quia probe jam dudum adverterunt, adeò esse Zwinglii, Calvini, Piscatoris atque Gomari paradoxa absona, ut meritò hominem Christianum pudere debeat, qui illis subscribere non detrectet. Inde natæ sunt incrustationes Parei, Schamieri, Crociorum, Bergiorum, & Maresii Turretinique qui hodie cadaverosam Sacramentariæ Meretricis faciem novis purpurissis oblinire satagunt. In materia de prædestinatione restringitur hoc objectum ad genus humanum lapsum. In articulo de Eucharistia Christus præsens esse dicitur in Eucharistiâ, sed non indistanter. Mortuus esse perhibetur pro omnibus sed non nisi ad eam sufficientiam, quæ nulli ad salutem sufficere valeat. Vide supra pag. 36. 78 71. Qua fronte igitur cum id commatis mortalibus DD. Augustani se miscebunt, qui in Articulo de Dei providentia Manichæi redivivi; in Articulo de Christi merito ultra medietatem Sociniani; In mysterio Eucharistiæ ipsissimi Capharnaitæ, in punctis verò politicis nihil nisi Machiavellum spirant, suoque Spiritu totum orbem Christianum adeò inficiunt, ut nulla fides pietasque supersit ubi horum Sacrilega castra vigent.

N. III.

Syncretismum cum Calvinianis DD. Augustani inire nequeunt absque gravissimo causæ suæ religiosæ dispendio.

A. Nam

A. Nam primò constat nunquam & nusquam reformatos societatem cum Augustanis aliofinè ambiisse quàm ut sedibus suis illos exturbarent. Testes invoco nobis vicinas ditiones Palatinorum comitum; Hassiam inferiorem, Civitates Bremensem, Basiliensem hoc artificio penitus subactas; Francofurtensem, Argentinensem aliasque non paucas in Suevia, tentatas & plus satis hoc fermento inquinatas. Hic meminisse juvat sinceri cujusdam præconis Lutherani in urbe Francofurtensi qui interogatus cur in Ecclesiis adeò similes Sacramentariis ritus adhiberent: gemebundus respondit: Ach Gott/ es ist ein Calvinischer Engel uber diese Statt geflogen und hat seine lose federn in alle unsere Evangelische Kirchen fallen lassen. Ingenua confessio, & sanè deploranda perversio! vix enim à Sacramentariorum Synagogis, Ecclesiæ Lutheranæ ea in urbe discerni possunt. Vnde ante aliquot annos contigit, ut quidam saxo circa festum Paschale more Lutherano confessurus cum ædem Minoritarum, quam hodie Augustani usurpant, ingressus, nec aram nec confessionale reperisset, subito pedem extulerit & ad Templum S. Bartholomæi se recipiens ibidem Adm. Reverendum & eximium Dominum Doctorem *Valentinum Pistorem*, Pastorem Catholicum in confessionali sedentem ostendens; illi noxas suas cum cordis dolore & ea oris specificatione fuerit confessus, ut nō potuerit vir illle sagacissimus & eruditissimus advertere qnod esset de parte Lutheri; donec uxor illius subsecuta sua mulieribus familiari peccatorum reticentià Schismatis Lutherani asseclam sese prodidisset. Hæc ex iterata asseveratione prælaudati optimi & fide dignissimi viri, scribo.

Sed mihi indubiè regerent reformati hanc causam magis contra nos Catholicos militare, quippe quos constet non alia lege cum suis adversariis transigere, quam ut legibus suis sese penitus penitusque subdant. Hoc ex ipsis Augustanis nobis audet exprobrare plus satis Zelosus Dannhavverus; Da hingegen die obstinirte Römische Samaria Christo und seinen Legaten die Herberg rund abschlagen/ allenthalben thür und thor versperren/ von keinem andern als blinden Knechtischen Salve wissen noch hören will. pag. 15. ubi supra. Ignoscat illi Deus hanc iniquissimam criminationem. Matrem omnium occidentalium Ecclesiam Romanam apostaticæ Samariæ audet comparare, cum nihil Samaritano Templo in monte Garizim contra Dei Templo in Ierusalem erecto, sit magis simile quam altare illud novum quod Lutherus contra Christi altare erexit. Neque præstabit unquam Dannhavverus huic criminationi annexā, rationē quod nullam aliam quam cæcam atque servilem unionem Ecclesia à Protestantibus exigat. Vtinam oculos attolleret *aversatrix hac Israel* cui dixit Dominus *Ad me revertere* Ierem. III.

V vers.

verſ. 7. & quod c. vi. verſ. 16. porrò addit: *ſtate ſuper vias*: ET VIDETE, *& interrogate de ſemitis antiquis, & quæ ſit via bona, ambulate in ea.* Non exigimus aliud ab illis quam ut interrogent Patres & maiores noſtros, illi dicent vobis quàm malè receſſeritis à tali Eccleſia, quam *veram* ſemper *fuiſſe*, & *etiamnum eſſe* vel inviti agnoſcere debetis. Interrogate Paulũ Apoſtolum & dicet, vobis ſectas & Schiſmata inter manifeſta opera carnis eſſe referenda. Gal. v. verſ. 19. 20. Interrogate Auguſtinum Schiſmatis crimen *ſcelus maximum eſſe* identidem ſui temporis ſectariis qui erant de parte *Donati* inculcantem; eius verba prolixè recenſent DD. Walenburgii in tract. de unit. Eccleſiæ lib. iv. cap. 2. & ſeq. Cæci, ſine dubio eſtis, ſi non videatis quàm procul à ſenſu & conſenſu veteris Eccleſiæ receſſeritis. Quod ſi ad illum ſaltem in palmariis fidei capitibus redire vultis, en vos exſpectat Mater benigniſſima Catholica Eccleſia non pro ſervis ſed ut filios habitura.

B. Magnam etiam cætibus Auguſtanis perniciem ex eo ſyncretiſmus cum reformatis omnis, inferet, quia in tali eventu, tacitè ſaltem, ſi non apertè, approbare debebunt abominationẽ illam deſolationis in loco ſancto, putà, proſcriptionem tot ad pietatem conducentium à SS. Eccleſiæ Patribus ex ipſo Apoſtolorum ore acceptorum vel ab illiſmet, Spiritu Sancto ſuggerente, introductorum ritus. Euchariſtia illis eſſe debebit nuda Panis fractio & poculi diſtributio, omni fide in Chriſtum verè *præſentem* & ori veſtro ſeſe *offerentem*; nec non Dei debitâ *adoratione* & cultu deſtituta.

Pænitentia erit abſque ulla peccatorum confeſſione & peculari abſolutione.

Miniſterium ſinè debita vocatione & ordinatione, quo vitio jam aliâs plus ſatis vos laborare ſupra oſtendimus.

Cantus ille gravis & ſuavis Eccleſiæ quem, in bene multis cætibus veſtris ad huc conſervaſtis, neceſſariò eliminabitur & in eius locum ſurrogentur inſipidæ illæ cantilenæ quas morio Marottus gallicis verſibus expreſſit & quas cum imitatione melodiarum à Claud o Gnodinele additarum quidam Legulejus Ambroſius Lobwaſſer in teutonicam linguam tranſtulit, de quo libro D. Dannhavverus verè & judicioſè refert: In gemeltem Geſangbuch ſingt mann Calvini und den Tituln (die ſchlimm genug) gemäſſe meinungen / Chriſti iſt meiſtentheils vergeſſen pag 357. Quis non malit Catholicam hymnodiam, illius quæ in cælis coram Throno Dei & agni, ſinè fine à novem Angelorum Choris concinitur, æmulam retinere, quam hæc profanorum hominum carmina decantare.

C. Denique Auguſtanos hoc damnum vel maximè ab omni Syncretiſmo cum reformatis ineundo, retrahere debet, quod in regimen illorum etiam ſeculare

lare certò certius redundabit. Calviniani veri hostes sunt vatiniani omnis monarchiæ; Imperatorem, reges, magnosque Principes cordicitus, quicquid ore aliàs dicant, oderunt Testis æternus erit Britannia magna; Experta jam dudum Sabaudia & inferior Germania. Dextrè quidem suam tegere rabiem norunt in locis in quibus Monarchæ rerum potiuntur, sed ubi jugum excutere possunt nihil intentatum relinquunt. Instruxit illos hac in re Calvinus eorum antesignanus in Institutionibus suis lib IV. cap. XX. §. 31 32. Repetiit in suis comment. ad Epist ad Rom. c. XIII Pareus ita ut in Anglia manu Carnificis vulcano fuerint traditi. Praxin addidit magnus ille latro & regicida Cromwellius unus ex posteris Thomæ Cromwellii qui Regi Henrico VIII. Monarchiæ Ecclesiasticæ usurpationem omnium maximè persuaserat lege plura in theat. Crudelitatis Calvinisticæ. Ab hac itaque leonina societate sibi caveant protestantes Dynastæ, neque blandimentis vaferrimi huius Spiritus Gebennensis sua capita vel coronas fidant. Tu Deus rex immortalis & invisibilis Imperatorem, Reges & Principes nostros cum cæteris legitimis Magistratibus Sancto tuo Spiritu reple ut Tibi tuoque in terris supremo Sacrorum Antistiti & Vicario in fidei & vitæ Christianæ Sanctionibus promptè obedire, orbi Christiano pacē conservare, & dira dirissimi ac durissimi Turcarum Tyrannica molimina nova fortiter ac concorditer repellere studeant. Infatua ô Deus noster! huic Sanctissimo proposito adversantia Consilia Achitophelica Machiavellica! Ut tuum sit regnum in nobis hic à te peregrinantibus; ibi verò ad tuæ pertingamus gloriæ regnum æternum. Amen.

Appendix
Exhibens
PARADIGMA
Consensus fundamentalis
in
Doctrina de
IUSTIFICATIONE
hominis peccatoris coram Deo Patre
per Filium in Spiritu Sancto.

Convenit Augustanis cum Catholicis

I. In vocabuli, Justificare & Justificatio, SIGNIFICATIO

 NE

NE; Accipi enim in Scripturis divinis sæpius sensu forensi nemo ex nostris negat; plures ijque in controversijs celebriores *absolutè* concedunt. Prolixum illorum Syllabum lege apud Gerhardum in Epitom. Confess. tom. 2.lib. 2 part. 3.art. 23. cap. 4. n. 4. pag. 607. Illis ego hic addo preter DD. Walenburgios in tract. de Justificatione. tom. IV. hanc tamen negationem ex Societate JESU P. Ebermannum in Bellarmino vindicato tom. IV. lib. 6. §. 3. n. 1. ubi egregiè hanc rem explicat & confirmat: omnes Catholici profitemur, *imputari* nobis merita, Sanctitatem, obedientiam Passionem Christi *effectivè*, ut nimirum ex illorum virtute & valore nobis quæcunque dona gratiæ conferantur. idem §. 4. Libenter damus hanc vocem, *justificare* aliquoties usurpari *in sensu forensi.*

Lis ergo est:

1. an *semper & ubique in* Scriptura tali sensu accipiatur, id quod nostri pernegant & meritò. Nam ex ipsis reformatis Theologi Leidenses in Synopsi purioris Theologiæ disp: XXXII. thes. 2. 3. fatentur; hanc vocem interdum propter summam & arctissimam connexionem Sanctificationis ut consequentem *complecti sanctificationem* Rom. 8. vers. 3. Tit. 3. 7.

2. An justificatio Dei qua peccatorem absolvit sit talis qualis in Scriptura à Spiritu Sancto redarguitur Esai. c. 5. vers. 23. quod sanè nonnulli Protestantes innuere videntur, quod dicant, Deum justificare impium non tantum antecedenter talem, sed etiam permanenter & concomitanter. Hoc totidem verbis S. Scriptura refutat aitque III. reg. c. VIII. vers. 32. *judicabis servos tuos, condemnans impium justificansque justum.* Neq; obstat locus Rom. IV. vers. 5. *ei qui iustificat impium*; intelligit enim Apostolus talem impium, qui antequam iustificaretur impius erat. Hoc confirmatur ex 1. Cor. VI. vers. 11. ubi iustificatos decribens ait: Hæc quidam fuistis (puta, *iniqui* vers. 9.) *sed abluti estis, sed sanctificati* estis. Ex quo textu simul colligitur sanctificationē nō esse posteriorē sed anteriorē iustificatione, neq; Deum alios pro justis habere, nisi illos quos prius naturâ sanctificavit.

Eodē sensu accipitur verbum *iustificare* Rom. III vers. 23. iustificati *gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Hunc locum merito ceu proprium statuunt, ex quo omnes causæ gratiosæ huius actionis peti possunt. Deus enim, quem vers. 22 allegat, est causa efficiens, *Deus qui iustificat* Rom. 8. vers. 33. *causa impulsiva* est liberalitas & benignitas quam indigitat vocabulum, *gratis* seu *non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos* Tit. III. vers. 5. *causam formalem* designat hisce verbis: per gratiam; *gratia enim estis salvati,* inquit idem Ephes. II. vers. 8 & hoc non ex vobis,

Dei enim donum est. Vides hic, qualis sit gratia qua formaliter iustificamur, videlicet, quæ non est ex nobis, non dicit Apostolus, quæ non est IN NOBIS; sed quæ non est ex nobis seu nostris viribus sive meritis parta, sed donū Dei; esse autem donum Dei extrinseco favori etiam divino non competit, sed potius effectui inde dimananti. Multò minus de hac nuda & extrinseca Dei benevolentia dici potest, quod de gratia formaliter & primò iustificante legitur Ioannis cap. 1. vers. 16. *accipimus gratiam pro gratia*, hoc est, pro operibus in gratia Christi factis gratiam nos *adbuc*, seu, magis iustificantē. Non enim obstat particula ἀντὶ valde enim probabile est illud ἀντὶ poni hoc loco pro διὰ quo sensu etiam accipitur apud Demosthenem, Virgilium, Terentium apud Contzenium ad. h. caput. q 2. Multò magis quadrat in favorem Dei Patris quod eod. c. 1. vers. 17. legitur: *Veritas & gratia per Iesum Christum facta est.* Ad quæ verba: *melior gratia quàm lex: & veritas præstantior quàm umbra* inquit S. Athanasius lib. 3. contra Arrianos, hoc ipso insinuans, Ioannem opponere gratiam à JESU CHRISTO factam h. e. acquisitam, legi quam Moyses Judæis dederat. *Cum enim* (addit S. Augustinus lib. 15. contra Faustum cap. 8.) *accessit litera Spiritus, ut inciperet impleri iustitia legis; qua non impleta, reos etiam prævaricatione faciebat*, tunc gratia & veritas per IESUM CHRISTUM facta est.

Si itaque phrasin Scripturæ sequi nobiscum velint Protestantes non erit opus de vocabuli, *iustificare*, significatione ulterius cum illis contentendere.

II. Consentimus etiam nos cum Augustanis in ipsius actus iustificatorii definitione. Et quidem.

A. Quoad causam efficientem principalem ut iam paulò ante ex Rom. 3. deduximus. Quoad meritoriam similiter ex asse conspiramus & contra infaustum illum Faustum Socinum propugnamus *Satisfactionem Domini Dei ac salvatoris nostri Iesu Christi*; quamvis nec vox *Satisfactionis* totidem verbis usquam in Scriptura extet, neque legatur in terminis terminantibus, Christum morte sua pro peccatis *Satisfecisse* quam sententiam *fallacem, erroneam & perniciosam* hic fallacissimus erro & perniciosissimus impostor in sua maledicta Catech. Cracov. blasphemo ore pronunciat. Congerunt quidem varia loca Protestantes in quibus æquipollentes propositiones continentur v. 1. Ioh. II. vers. 2 c. IV. vers. 10. Rom. III vers. 5. c. v. vers. 6. II. II. Cor. v. vers. ult. Ephes. 1. v. 7. 1. Pet. 1. vers. 18. 19 1. Tim II. vers. 6. Matth. xx. vers. 28. Col. 1. vers. 15. Gal. III. vers. 13. Ex qnibus non malè contra Ostorodum argumentatur Graverus & repetit ex reformatis Nicolaus Arnoldus in Franckerano Lyceo professor in Catech. Raccov. refutata p. 492.

Quicunque pro alterius ex morte redemptiono, vitam ſuam in mortem, tanquam λύτρον & ἀντίλυτρον, hoc eſt pretium redemptionis, ſeu redempti captivi tradit, ita ut dolores alterius ipſe in ſe portet, pœnam pro pace alteri acquirenda ipſe volens in ſe ſuſcipiat, ſolvat quæ non rapuit, fiat peccatū, execratio pro eo, expiet alterius peccata, & ſit propitiatio pro alterius peccatis morte & ſanguine ſuo, ac deleat chirographum alterius, ut is pro quo moritur per mortem alicus reconcilietur, is ita moritur; ut loco eius pro quo moritur morte ſua Satisfaciat.

Atqui ſic mortuus eſt Chriſtus. Ergo.

Eſſe etiam has conſequentias tanti roboris *in ſe*, ut illis ſolvendis nullum ſufficiat Socinianorum acumen & vafrities: non diffitemur. Si tamen ex fidei Catholicæ dictamine his Scripturæ locis, non huius vel illius privati Doctoris commentatio & illatio, ſed totius Eccleſiæ ſenſus ac conſenſus ex traditione interprete adjungatur, majorem utique vim & robur habebunt, refractarios hoſce hæreticos revincendi & illorum evaſiones quas, jam in græci contextus ſæpe ab Arrianis jam olim viciati diſcrepantia; jam in illationis inde factæ imbecillitate; jam in diverſi ſenſus, cuius Scripturæ verba ſaltem ſint capacia, excogitatione quærunt, præcavendi.

III. Neque eſt diſſenſus in cauſa miniſteriali juſtificationis, tam illa quæ ſe habet ex parte Dei juſtificantis; quam ex parte hominis illam recipientis.

Vtrimque enim conſtat;

A. Deum *ordinariè* non niſi per Sacramenta homines juſtificare; & Sacramenta ex Chriſti inſtitutione virtutem habere primò & immediatè applicandi merita Chriſti; tum etiam organicè cauſandi gratiam quam per Spiritum Sanctificationis Pater intuitu illorū creat in cordibus noſtris Hoc apud Catholicos eſt in confeſſo ex ſeſſ. VII. Concil. Tridentini can. 6. Ex Proteſtantibus exerte docet Mentzerus in exegeſi art. XIII. *Sacramenta eſſe inſtrumenta per quæ donatur Spiritus Sanctus, qui fidem efficit.* p. 397. idem tradit ad art. V. pag. 155.

Dices Aug. Confeſſio art. XIII. damnat eos qui docent quod Sacramenta *ex opere operato* juſtificent.

℞. Addit ſalutarem clauſulam: *nec docent fidem requiri in uſu Sacramentorum, quæ credat remitti peccata.* Nam per hoc doctrinam Eccleſiæ Catholicæ à ſuo anathematiſmo abſolvit. Neque enim fuit unquam, nec erit aliquando mens Eccleſiæ quod Sacramenta quemquam ex opere operato juſtificent, qui non credit remiſſionem peccatorum per hæc ipſa Sacramenta miniſterialiter conferri.

Fides

Fides utentis Sacramento requiritur *ad fructum* & efficaciam Sacramenti : *ad integritatem autem & substantiam* minimè inquit Grawerus ad art. IX. pag. 833. Vide quæ supra de opere operato diximus pag.

B. Similiter concordamus non semper *privationem Sacramenti* damnare; sed in adultis sufficere *votum Sacramenti*, quando in re haberi non potest.

Superest sola quæstio : an baptismus actualis infantibus ad justificationem & salvationem *præcisè* seu ut in scholis loquuntur, *necessitate medii* sit necessarius.

Menzerus Christianorum infantes quorũ parentes non possunt dici Sacramentũ contempsisse, *optima spe niti* arbitratur ad art. IX. §. 17. sed quomodo hoc conveniat cũ verbis Augustanæ Confessionis : *Damnant (Ecclesiæ nostræ)* Anabaptistas qui &c. *affirmant pueros sine Baptismo salvos fieri*. toti orbi Christiano dijudicandum committimus. Certè nostri censores primi nihil in hoc articulo desiderarunt. Unde meritò dolemus Augustanos suis Theologis hanc innovationem contra tam aperta ipsius Salvatoris nostri verba Ioann. III. vers. 5 permisisse.

Ratio enim quam afferunt ex precibus parentum & Ecclesiæ totius, quibus prægnantes & ipsarum fœtus Deo commendare solent, ipsorummet hypothesibus adversatur.

1. Negant enim vivis infantibus prodesse fidem in susciptone Baptismi; quanto minus proderit oratio in privatione Baptismi.

2. Si justificatio & salus horum infantium pendet à precibus parentum & Ecclesiæ. Ergo à contrario precum omissio causabit damnationem. Sed hoc est contra apertum Spiritus S. Effatum : filius non portabit iniquitatem patris Ezech. XVIII. vers. 20.

3. Quoties accidit quod fidelis mulier pariat prolem mortuam pro qua neuter parentum neque tota Lutherana Ecclesia vel minimam oratiunculam fuderunt; & misellus ille fætus luet æternùm propter hanc intermissionem ?

4. Denique ubi in Evangelio toto hæc limitatio à regula Christi per Paulum Ephes. V. vers. 26. Tit. III. vers. 5. repetita, vel verbulo insinuatur?

Optimus conveniendi modus, exiguo nostro judicio, foret; Si Augustani à sua affirmativa nullo Scripturæ testimonio hucusque roborata, desisterent. Catholici verò illos ad explicitè negandum Salutem talium infantium non adstringerent; contenti, si in hoc puncto protestantes credant id quod Ecclesia vera ex ante laudatis Christi verbis credendum esse dijudicat.

C. Ratione fidei quam etiam inter causas justificationis organicas utrimque referimus; longè etiam minor est difficultas quam plures sibi persuadent. Concordamus enim

A. Infi-

A. in fidei necessitate. Nimis enim clara sunt verba Tridentini sess. VI. cap. 8 Ecclesiæ Catholicæ consensus perpetuus tenuit & expressit; ut scilicet per fidem ideò justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium & fundamentum, & radix omnis justificationis; *Sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius con'ortium pervenire.*

B. in fidei natura seu quidditate. Ex quo enim recentiores Augustani & inter hos Hannekenius disertè fatetur illam fidem quam triplicem nonnulli suorum antehac dixerant, non esse nisi unam in essentiâ, trinam verò quoad illius gradus, ita ut in aliquibus sit tantũ notitia, in nõnullis assensus, aliis porrò sensititia in reliquis etiã fiducia; Sicut in quibusdã creaturis non est nisi anima vegetativa, in reliquis etiam rationalis. Addatque: Denn wir nit leugnẽ daß die Historische wissenschafft / da wir glauben daß Gott Christum von den Todten aufferwecket ꝛc. Mit zu dem seligmachenden Glauben gehöre pag. 14. Neque nos negamus in fide vera ac salvifica requiri notitiam aliqualem, assensum etiam formalem & explicitum saltem in aliquibus, tum etiam fiduciam fidei quàm à fiducia spei distinctam esse Hannekenio facile damus,

Sicut enim fides Catholica, quam Protestantes Salvificam nuncupant, dum Veritate Dei *ceu obiecto formali* nixa simul respicit Dei potentiam, non tantum ut in Deo est, sed etiam quatenus per se, V. G. montem transferre, mortuos resuscitare &c. potens est: in multis credentibus prodigia magna operatur; Neque tamen sequitur quod omnis fide divina præditus ea virtute pollere debeat; vel quod ille qui hoc fidei gradu destitutus est, ipso fidei dono privatus sit: Sic etiam se res habet in tertio illo gradu fiduciæ fidei, quo donati non tantum norunt ea quæ creditu magis sunt necessaria, firmissimum etiam assensum omnibus ijs præbent quæ ceu à deo revelata per Ecclesiam proponuntur, sed simul etiam respiciunt in Dei immensam benignitatem. Habet ergo hic gradus fidei *pro objecto immediato & proximo* benignitatẽ pollicentẽ nobis gratiam & auxiliũ in tempore opportuno ad superandas difficultates & consequendum fidei finem, vitam æternam. Differt etiam *actu* ab ipsa fide. Fides enim assensu suo tendit in omne verum ut divinitus revelatum sive sit dogma sive promissio, sive cominatio. Hæc fidei fiducia ultra progreditur & magno animo fidentiq; à Dei amore omnẽ gratiam ad salutẽ necessariã sibi pollicetur, nõ enim *salutis acquisitionem* duntaxat credit, sed etiã illius *applicationem* per auxiliorũ divinorũ participationem sibi certò & omni metu inani excusso promittit. Hoc est quod dicit Apostolus: *In Christo habemus fiduciam & accessũ in confidentia per fidem eius* Eph. c. III. vers. 12. Non fides ergo fiducia sed per fidẽ omnis vera fiducia & nascitur & susten-

tenta-

tentatur. Neque per solam fidem sed etiam per Sanctam operationem, unde iterum Apostolus 1. Tim. III. vers. 13. *qui bene ministraverint &c. multam fiduciam acquirent in fide, quæ est in Christo Iesu.* Dicitur itaque fiducia fidei quia ab ea virtute qua omnia credimus, & quæ nostram vitam in faciendis & omittendis dirigit, ceu germen ex radice, ceu rivulus ex fonte oritur. Lege egregiam huius fiduciæ explicationem apud Fridericum Bartscium Societatis Jesu Theologum Polonum tom. 2. controvers. Dom. IV. post Epiph. §. *&* *differunt fides &c.* pag. 807.

C. Consensus insuper est *in fidei activitate* Asserunt fidem justificare organicè, & correlativè Organicè actus, correlativè objecti sui respectu. Ita Hottingerus in cursu Theol loc. cv II. B § B. Qui tamen paulo post sibi contradicit, quando negat fidē *actualiter* justificare. Quod enim organicè respectu actûs justificat, hoc profectò actualiter justificat. Quod verò non actualiter justificat, actus organici respectum sive rationem nullatenus habere potest. Quando verò negat fidem *habitualiter justificare* peius se adhuc prostituit. Vel enim infantes fide habituali vel actuali, vel sine omni fide justificantur. Duo posteriora dici non possunt, nisi vel ad Pelagii vel ad Lutheri paradoxa transire velit. Ergo remanet primum. Neque tamen hinc sequitur. Ergo lege justificatur. Fides enim licet in lege contineatur, *ut præcepta*; non tamen in illa tenetur *ut conferenda* sed eatenus spectat ad Evangelium & gratiæ germen est. *Correllativè* verò fidem iustificare, phrasis est in Ecclesia minus recepta. Si tamen rectè explicetur, rem continet à Veritate Catholica haut alienam. Utrimque enim in confesso est fidei passim in scriptura justificationem acceptam ferri. Secundum tres illius gradus.

1. Ratione *notitiæ*, quia hoc beneficium quod omnium Sapientissimos inter gentes & Iudæorum Sagacissimos Pharisæos latuit; Christus nos in suo Evangelio docuit, unde Esaias dicit in scientia sua iustificabit ipse servus meus iustus multos Esai. 53. vers. 11.

2. Ratione *assensus* quia sic primum vitæ supernaturalis motum ostendit; si enim corde credideris quod Deus Dominum Jesum suscitavit à mortuis salvus eris Rom. x. vers. 9. Salus autem ista non est nisi inchoata; Qui enim incredulus est, non erit recta anima ejus; justus autem in fide sua vivet Hab. II. vers. 4 & hæc fides est initium substantiæ Christi Heb. III. vers. 14. hoc est gratiæ, in qua subsistimus & per quam incipimus esse nova creatura Gal. VI. vers. 14. Eadē vis assensitiva fidei justificat directivè tam in secunda quàm in prima justificatione.

ne.

ne. Dictat enim quid sit credendum, quid sperandum; quid faciendum, quid omittendum. Quò etiam respexisse potuit Apostolus quando dixit: *omne quod non est ex fide peccatum est* Rom. XIV. vers 23.

3. Ratione etiam *fiduciæ* justificat non tamen adæquatè seu plenè. Quamvis enim homo in Deo Patre per Christi mortem reconciliato plurimum conquiescat, maximè postquàm omnia quæ fides in Evangelio præscribit fideliter adimplere conatus est; talẽ tamen fiduciam habet per Christum ad Deum; non quod sufficiens sit cogitare aliquid à se quasi ex se, sed quòd sufficientia ejus sit ex Deo II. Cor. III. ℣. 4. Itaq; si existimat se stare, attendit, ne cadat, confidit autem, quia Deus est fidelis, quod non patietur se tentari supra id, quod potest, sed sit facturus cum tentatione etiam proventum, ut possit sustinere. I. Cor. X. 12. 13.

Dices. Ergo *sola* fides non justificat.

Resp. In sensu, quo Lutherus ab initio hanc Phrasin adhibuit, sine dubio falsa & explodenda est.

Hodie Protestantes per illam exclusivam, *sola*, non cupiunt exclusam

a. gratiam Dei

b. meritum Christi.

c. usum Sacramentorum.

d. operum bonorum præsentiam.

Neque nos diffitemur *fidem solam* justificare in sensu S. S. Patrum qui excludit.

a. alias à fide Christiana Catholica opinationes quo sensu S. Leo Epist. 70. ait: Sola fides Catholica vivificat & Sanctificat.

b. opera legis ceremonialis quæ jam non tantum non sunt justificatoria, sed potius mortifera & damnatoria.

c. opera etiam legis moralis absque fide & gratia Christi facta.

d. De-

d. Deniq; etiam opera in Charitate Christi facta, si homo in illis glorietur magis quam in gratia Dei per quam ea patravit. Hoc vocat Paulus, *operari* Rom. IV 4. h. e. in operibus spem suam reponere: *non operari* autem explicat per credere in eum qui justificat impios. Nam etiam homo justificatus credere debet, se gratis esse illo beneficio affectum; quod etiam in illo perseveret, similiter Divinæ gratiæ acceptum ferre debet, si justitiæ fructus ferat, ex radice primæ illius gratiæ illa progerminare humiliter agnoscat, oportet. Quanto magis ergo credere debet se absque bonis meritis, sæpe cum multis malis meritis ab initio justificatum fuisse.

Dices cur ergo Fidei toties à Paulo Iustificatio tribuitur. Præter rationem ex Tridení. sess. VI. c. 8. supra allatam, addo hic ex Toleti annot. XVII. ad c. 3. Epist. ad Romanos: Est etiam particularis causa, quod fidei justitia tribuitur, quia in ipsa magis manifestatur, hominem non propria virtute, sed Christi merito justificari. Sicut enim in aspectu in serpentem Deus posuit sanitatem in deserto, quia aspectus magis indicabat sanari homines virtute serpentis, non operis alicuius proprii, aut medicinæ alicuius: ita fides ostendit justificari peccatores merito & virtute Christi, in quem credentes salvi fiunt &c. Fides enim immediatius & distinctius in eum fertur, cuius virtute justificamur &c.

Et si in hoc sensu intelligant Protestantes *fidem correlativè justificare*, h. e: quatenus respicit mortem & Passionem Christi eamque non tantum *actu suo assensitivo* firmissimè credit, & præ aliis omnibus necessariò credendam esse statuit; sed etiam *actu fiduciali* ultimo in ea conquiescit, & sibi pollicetur Deum patrem intuitu illius mortis amorem de se concepisse non tantum *beneficentiæ*, quo impellatur ad concedendam gratiam & gloriam; sed etiam ad amorem *complacentiæ*, ut opera multis subinde imperfectionibus laborantia, tamen ideò sibi grata habeat, quia Spiritum filii sui in illorum authore recognoscit, & in quo clamat Abba Pater, ergo tibi ceu Patri misericordiarum me totum committo & quæque ad salutem necessaria à Te mihi promitto. Hoc, inquam, sensu nos facile habituri essent assentientes.

Dummodo hæc fiducia Supponat testimonium bonæ conscientiæ, & non ex-

cludat salutarem illum timorem quo salutem operari ex Apostoli doctrina, jubemur, Phil. II, vers. 12. Sic enim coincideret cum inani hæreticorum fiducia *in qua Sola* illi quiescunt, quam proinde merito damnat S. Synodus Trid. sess. VI. c. 9. Neque Protestantes intelligentiores ita crudè admittunt. Testis esse potest D. Hanneckenius quando conqueritur falsò suæ Ecclesiæ imponi darin bestehe der Glaub/ daß einer lebe wie er wolle/ und thue waß er wolle/ so soll er versichert sein er habe einen gnädigen GOtt/ so seyen ihme seine Sünde vergeben und er sey ein liebes Kind GOttes und Erbe des ewigen Lebens. Aber solches ist uns nicht in Sinn kommen.

Benedictus Deus qui tam perniciosũ dogma à sincerioribus Augustanis exulare jussit. Quamdiu hoc proscriptum manebit, non erit difficultas conciliandi partes. Nos enim solam inanem & chimæricam repudiamus fiduciam, quæ sinè omni respectu *ad media per Christum ordinata*, qualia sunt *fides & pietas*, salutem pollicetur.

IV Protestantibus etiam facilis erit à Catholicis impetratu consensus, in causa *formali*, dummodo pars Lutheri Catholicorũ sententiã candide velit accipere. Hoc ubi fecerit, nihil oberit, quo minus Catholici vicissim multa largiantur, quæ illa præprimis urgent. Utrimque conceditur.

A. Deum neminem justificare, cui non statim renovationis gratiam simul largiatur. Hoc post Lutherum ex Augustanis Chemnitius, Gerhardus aliiq; passim. Post Calvinum, Chamier, Pareus, Amesius, Crocii, Bergiique clarè fatentur; ajuntque Sanctificationẽ justificationi nexu individuo esse conjunctam. Hic Fundamentum nostræ fidei totale nobis largiuntur.

B. Nos enim Catholici ingravatè largimur, nulli Sanctificationis, ut protestantes vocant (nos primæ gratiæ infusionem vel saltem communicationem dicimus) conferri, cui non *prius naturâ* saltem, imputata sint merita Christi ad dimissionem peccatorum; Unde Theologi nostri, quos sequitur præstantissimus SS. Literarum interpres Cornelius à Lapide, docent, *in justificatione per Sacramenta quasi prius naturâ, Christi satisfactionem nobis applicari; ut deinde posterius naturâ propter eam remittantur peccata, & gratia infundatur.* Comm. ad c. 1. 1 Epist. ad Corinth. ad illa verba: *qui factus est nobis &c.* & tametsi per Iustitiam *nobis inhærentem* verè justi nominemur & sumus, tamen non *per eam Satisfacimus Deo* pro culpis nostris, & pœna æterna, sed est illa Iustitia inhærens cum remissione culpæ & sempiternæ pœnæ, *effectus Satisfactionis Christi &c* ut loquitur Card. Bellarm. lib. 2. de Iustificatione. Imitantur itaque Sacramenta in ministeriali collatione gratiæ ordinem Dei primò ac principaliter Iustificantis. Sicut enim

ille

ille neminem justificat, cui non prius naturâ propter obedientiam filii condonavit omnem in Adamo commissam inobedientiam: ita illa ex Christi ordinatione vim habent movendi cor cælestis omnium parentis ad beneficentiam per exhibitionem meritorum Christi. Imputatio itaque illa semper naturâ prior est infusione gratiæ, non tamen partem formalis *justificationis* constituit, quia potius se habet *ex parte causæ meritoriæ* quatenus respicit non tàm *acquisitionem* quàm *applicationem meritorum* Christi.

Formalis autem justificatio est illa quæ tollit omne quo homo redditur damnationis reus, & confert, quo haberi potest, *saltem ex gratiosa Dei jam reconciliati acceptatione* dignus vita æterna, & hæc est Satisfactionis Christi, non simpliciter, sed quà applicatæ effectus. Per hunc effectum hominem verè constitui justum & amicum Dei ingenuè agnoscit ex Augustanis D. Hannekenius: wir geben gern zu/ vnd ist vnser grosser trost/ daß die sunde/ so fern sie feindschafft zwischen vns und vnserm Gott machet/ gantz aus getilget werden/ in dem die Gerechtigkeit/ Heiligkeit/ und teuer verdienst Christi vns applicirt vnd zugeeignet wirdt pag. 52. Neque enim nos universim inhærenti Iustitiæ eam deferimus perfectionem quod in hac peregrinatione Dei districtum judicium citra omnem respectum ad illud quod Christus pro nobis factus maledictum, maledictionis rigorem quem sub veteri lege Deus ultionum fulminaverat, experiri possit. Ex quo enim factus est *Pater Misericordiarum* & Deus totius consolationis, nulli dubitamus quin dona illa, quæ in vasis nostris fragilibus gerimus qualia sunt justificatio, & Sanctificatio, non attentis nostri quibus illa identidem humanæ nostræ fragilitatis adspergimus maculis saltem venialibus, sit in deliciis habiturus, quia sunt almi Spiritus sui charismata & ex *fontibus* salvatoris exundantes rivuli.

V. Quod verò subjecti iustificandi rationem & constitutionem attinet; nihil aliud in eo exigit Ecclesiæ doctrina quàm id quod ultro nobis concedit D. Hannekenius pag. 25. Wenn ein Bußfertiger/ der seine Sünde hertzlich berewet/ wolte derselben gern loß sein/ und begehret Gnade von GOtt durch Christi Heylige Wunden/ hat auch den versatz/ durch hülff und beystand des Heyligen Geistes sich vor Sünden mit fleiß zu hüten/ so hat der/ wann er von dem Diener GOttes (Hanneckenius sine dubio subintellexit iuxta Augustanam Confessionem, peccatorum specialem accusationem) die Absolution begehret/ und im Nahmen GOttes und unsers Heylandes/ von seinen Sünden loß gesprochen wird/ an GOttes Gnade/ und an gnädiger Vergebung seiner Sünden nit zu zweiffeln/ Requiritur igitur in homine iustificando,

A. Dolor de peccatis cordialis non superficialis, h. e. vel contritio vel saltem attritio.

B. Spes & petitio veniæ enixissima per Christi acerbissima vulnera.

C. Propositum melioris vitæ in fugiendis malis & perficiendis bonis nixum non proprii arbitrii viribus sed divinæ Gratiæ muneribus.

D. His præmissis filialis confidentia, ex parte Dei & Sacramenti Absolutionis non fore defectum &c.

Hæc sunt, Deum testor in animam meam quæ S. Mater Ecclesia Catholica Romana præ aliis omnibus urget. Enumerationem peccatorum utique exigit propter mandatum Christi Ioannis c. xx. vers. 23. expressum & ab Apostolo Iacobo c. v. vers. 16. repetitum, nec non temporum Apostolicorum in Ecclesia praxi Act. xix. vers. 18. confirmata. Potissimam tamen pœnitentiæ partem, in Scholis *essentialem* dictam, cordis intimum dolorem statuit. Hæc nunquam deesse debet iustificando, oris confessio & operis Satisfactio, sæpe deficit absque dispendio salutis.

Dices.

Gravis intercedit controversia Catholicis cum Protestantium Doctoribus. Hi enim in homine justificando liberum arbitrium *non nisi passive*, illi *etiam active* concurrere volunt.

Resp. Distingui debet gratia præveniens & peccatorem in peccatis penitus mortuum *primo excitans* in homine sine homine operans: à gratia formaliter justificante, quæ hominem jam supponit ad gratiæ susceptionem & habitus justificatorii suscipiendi capacem. *Qui enim*, sunt verba Tridentini totidem oracula, *per peccata* à Deo aversi erant, per ejus *excitantem* atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ *libere assentiendo*, & cooperando, *disponuntur*. sess. vi. c. 5. *Nulli ergò nostri sunt conatus, si non excitantur*, ut loquitur mellifluus Bernardus lib. de gratia & lib. arbitrio. Postquàm tamen excitatum est hominis arbitrium, statim potest ac debet adjuvanti gratiæ cooperari, aperiendo fores cordis iuxta illud Cant. c. v. vers. 2. *aperi mihi soror &c.* Apocal: c. iii. vers. 20. *Si quis mihi aperuerit &c.* In hoc quidem nonnulli Augustani incommodas omninò phrases adhibent. Nobiscum tamen quoad hominem regenitum consentiunt, Errare Calvinum ejusque asseclas asserendo voluntatem hominis renati, nihil agere, sed duntaxat gratiam suscipere, neque esse in potestate hominis converti vel resistere gratiæ, ut ex Augustanis fatetur iisdem verbis loquitur Alardus Vaeck in tractat. de uniendis Christianorum animis lib. v. cap. 4. n. 3. Hoc autem totum illud est quod insinuat S. Synodus

Trid.

Trid. ſ. II ſupradicta c. 7. quando ait, iuſtificationem non eſſe ſolam peccatorum remiſſionem ſed & Sanctificationem & renovationem interioris hominis *per voluntariam ſuſceptionem gratiæ.*

VI. Inſuper quoad effectum iuſtificationis, ſi logomachia abſit parum vel nihil *ſuper eſt* Catholicos inter & Proteſtantes diſcriminis. Fatemur nos in iuſtificatis ſupereſſe concupiſcentiam vel fomitem peccati, cum Trident. ſeſſ. v. n. 5. agnoſcimus inſuper peccata illa venialia, quæ iuſtificatis plus ſatis ſunt frequentia, ideò potiſſimum eſſe talia, quia Chriſtus exquiſita ſuæ legis adimpletione, nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum Gal. III. verſ. 13. ut jā nō ſimus amplius ſub lege (ſub legis rigore) ſed ſub gratia Rom, VI ℣. 16.

Et quamvis non poſſimus in huius vitæ fragilitate adimplere omnem illam perfectionem quam continet lex *ceu finem aſſequendum*: ſufficit tamen nobis ſub fœdere gratiæ & lege fidei, ut dicitur Apoſtolo Rom, III. verſ. 27. Si ſervemus illa quæ ſunt in lege *ceu media præſtanda ad finis ultimi aſſecutionem* comprehenſa. Ut egregiè docet incomparabilis .Theologus Laurentius Forerus in manuali Lutheranorum pag. 23. 38.

VII. Deniq; quod operum merita concernit, iam ſupra contra Calvini diſcipulos Eccleſiç ſententiā ita (ſpero) dilucide propoſuimus, ut nō dubitemus quin Veritatis ac Pacis amantibus Auguſtanis eatenus ſaltem factum ſit ſatis. Ut verò omnibus cordatis evidentius pateſcat, quàm ſimus in Eccleſia Catholica alieni à Phariſæorum opinione in meritis fiduciam reponente & qualiter in omnibus orationibus publicis tam pro vivis quàm defunctis ad Dei Miſericordiam cōfugiamus, viſum eſt ex communibus noſtris libris liturgicis & Eucheticis hic coronidis loco teſtimonia aliquot ſubiungere,


In Canone Miſſæ Sacerdos: Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, *de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus &c.* & paulò poſt: intra horum nos conſortium *non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor* admitte. Poſt communionem: ope, inquit idem, *miſericordia tua adiuti, à peccato ſimus ſemper liberi.*

In collectis. Dom. II. advent. placare quæſumus Domine &c. *& ubi nulla ſuppetunt ſuffragia meritorum*, tuis nobis ſuccurre præſidiis Dom. III. advent. S. Sabbath. Indignos nos, quæſumus, Domine, famulos tuos *quos actionis propriæ culpa contriſtat.* Dom. IV. excita Domine potentiam tuam & veni, & magna nobis virtute ſuccurre: *ut per auxilium gratiæ, indulgentia tuæ propitiationis acceleret.* Dom. V. poſt Epiph. Hoſtias tibi Domine placationis offerimus: *ut & delicta noſtra miſeratus abſolvas & nutantia corda tu dirigas.* Dom. Sexageſimæ: *Deus qui conſpicis, quia ex nulla noſtra actione confidimus; concede propitius.* In die Cinerum: *Parce Domine,*

mine, parce populo tuo: ut dignis flagellationibus castigatus, *in tua miseratione respiret.* post II. Dom. quad. fer. 2. *Quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, consueta Misericordia tribue benignus effectum,* fer. 3. *animarum nostrarum medere languoribus: ut remissione percepta, in tua semper benedictione lætemur.* Dom. II. Sabb. Familiam tuam continua pietatè custodi, *quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur.* Dom. III. fer. 5. *Deus, de cuius gratia rore descendit &c.* In præfat. Paschali: *Ipse verus est agnus, qui abstulit peccata mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit.* Dom. III. post Pascha: *ut vivificationis tuæ gratiam consequentes, in tuo semper munere glorie-mur.* Dom. V. *Deus à quo bona cuncta procedunt.* fer. II. pent *Sancti Spiritus corda nostra mundet effusio.* Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus Sancti. Mentes nostras, quæsumus, paraclytus, qui à te procedit, illuminet. Præsta quæsumus omnipotens & misericors Deus ut Spiritus Sanctus *adveniens Templum nos gloriæ tuæ dignanter inhabitando perficiat.* Dom. I. post Trinit. Deus in te sperantium fortitudo, *quia sine te nihil potest mortalis infirmitas præsta auxilium gratiæ tuæ* Dom. III. *Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil Sanctum* Dom. VI. *Deus virtutum, cuius est totum quod est optimum,* in sere pectoribus nostris &c Dom. VII. *Tua nos, Domine, medicinalis operatio, & à nostris perversitatibus clementer expediat &c.* Dom. XI Deus qui abundantia pietatis tuæ *& merita supplicum excedis* & vota. Dom. XII *Deus de cuius munere venit,* ut tibi à fidelibus dignè & laudabiliter serviatur Dom. XIII. Deus da nobis fidei, spei & charitatis augmentũ: *& ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare &c.* Dom. XIV *quia sine te labitur humana mortalitas,* tuis semper auxiliis *& abstrahatur à noxiis & ad salutaria dirigatur.* Dom. XVI. Tua nos, Domine, *gratia semper præveniat & sequatur.* fer. 4. Misericordiæ tuæ remediis, fragilitas nostra subsistat. Centum alia ex eod. codice liturgico divinæ gratiæ necessitatem & efficaciam clamantia prostant. Ex codice verò Euchetico quem *Brevarii* nomine vulgò indigitamus non pauciora excerpere licuisset nisi brevitati studendum foret. Aliquot ex Sacratissimo Hymno DD. Ambrosii & Augustini flosculos hanc Veritatem redolentes delibabimus. Flexis genibus ferme dietim in omnibus maioribus Ecclesiis clerici nostri intonant:

Te ergo quæsumus tuis famulis subveni quos pretioso Sanguine redemisti.
Miserere nostri Domine, miserere nostri.
Fiat Misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in Te.

Fiat misericordiarum pater, & super illos quorum aggregationem speramus & optamus.



F I N I S.